



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



G. Budæi Parisiensis Cōsilia-

RII REGII, SVPPlicVMQVE LI-
BELLORVM IN REGIA MAGISTRI,

AD

Inuictiss. & potentiss. Principem FRANCISCVM
Christianissimum Regem Franciæ

DE TRANSITV HEL-
lenismi ad Christianismum,
Libri tres.



PARISIIS.

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina,
ad Veritatis insigne.

1556.



AD INVICTISS. ET POTENTISS. PRIN-
CIPEM, FRANCISCVM CHRISTIANISS. REGEM
Francia, G. Budai Consiliarij eiusdem Regis, supplicum-
que libellorū in regia magistri: in libros De transitu
Hellenismi ad Christianismum, Præfatio

Literarum humanarum studio, artiūque liberalium ac
civilium quoquo modo defunctus: Franciscæ Rex Chri-
stianissime: ad literas diuinas longè liberaliores animum
conuertere non ita pridem perrexeram. Hoc autem ge-
nus philosophia, non mortis tantum, vt olim fuit, inanis
est commentatio, sed theurgia multiplicis potius, & admiranda cōtemplatio,
quæ immortalitatem certam mortalibus, beatitudinēque sempiternam mi-
seris, fide non dubia pollicetur, comparatque mirificè atque benignissimè.
Cum verò illud prius studiū amorem philologiae hactenus esse existimarim,
itaque semper appellauerim: ei verò ætatis annos florentis atque etiam vi-
gentis, ab ineunte non ætatula, non exeunte ab adolescentia, sed ab iuuen-
tute demum dederim, ad hoc ipse alterum studium, serius quidem quàm o-
portuit: sed tamen aliquando transferre eundem animū concupiui: copias
item ipsius omnes, facultatēque transcribere, quales illæ sunt cunque. Id
demum receptum volui, cautūque diligenter, ne mihi necesse esset vsum &
consuetudinem philologiae pristinae, contracta perditū & confirmata: sic
ipsi renunciare, eam vt ipsam vltimum valere iuberem, semelque salutarē.
Quippe qui ita alterū studium ab altero dissidere minimè arbitrarer (etsi
opinio est hominum peruulgata) vt sodalitate consociari nequeant ipsa,
contuberniōque iungi. Et rem quidem sic temperandam censui, itaque
comparandam vtriusque assensu, bonaque pace, philologia, tantum vt ma-
iori minor philologia non grauātē cederet: fasces etiam summitteret hono-
ris ac dignitatis: quanto illam maioribus ire per altum auspiciis manifesta
fides. Neque enim de prioribus illa, ne videretur de partibus quidem contē-
dere non impudentissimè atque iniquissimè posset, quæ agnoscere nunquam
renuisset, apud nos quidem certè, temporaria tantummodo oblectamenta,
& vitæ ornamenta, cum sensuum delinimentis, sese suppeditare obseruantib-
us sui: cum hæc eo amplius æterna bona polliceretur, & vero certissima si
de repromitteret, sponsoribusque quàm locupletissimis. Accedit quòd lau-
tior illa cōptiorque philologia, à me prior adamata, permultūque & cul-
ta & obseruata: vtpote quam annos vitæ plureis præcipuōsque deperierim,
verba dare interdum (vt verum fateamur) non modo suis procis, sed spon-
sis solita est: cum eius amantiſsimis, tum liberalissimis etiam & assiduīs
a. ij.

maximè. & porrò vnde non semel atque iterum ipsa solùm, sed sapius peperit : exactisque temporibus partitionis non incommodissima. multis enim illa decoxit nimium benignis creditoribus atque liberalioribus, & paulo magis candidis & ingenuis. Contrà verò altera quam cognitam nò minus statim adamanimus, etsi minus cum ea consuescere nobis vacauit : non verborum illa quidem venditatrix est, ostentatione institoria atque nundinaria: verùm bona fide vel optima potius verbi negociatrix. In taberna verò suà, atque etiam in tabernaculi abstrusioris penetralibus, longè plura, maiora, splendidioraque ostendit, & simul vendibilia, fidelibus quidem certè sui cultoribus, rerùmque suarum aestimatoribus prudentissimis, & perspicacissimis. Priore autem aspectu verbi, facièque ipsa sua, quasi obducta rugis & vultuosa : cùm parum festiuitatis praeferat, tum lenociniis nullis, vti didicit: accersitisque extrinsecus inuitamentis hominum ingenio & studio praestantium : tantòque minus eorum, qui necessitudinem arctiorem cum illa contraxerunt ostentatrice nitoris atque elegantiae. Etenim vt seuerior quaedam paulo & morosior institrix, eximias suas merces non omnibus expromptas habet : sic ipsa ad recondita admittit agrius & visenda, homines studiosos: nec nisi exorata assiduitate contentionis, & fide sibi facta desiderij non curiosi. Mihi autem videtur catena quaedam aurea verbi diuini atque caelestis : argumentosissima serie apta, atque conferta actorum providentiae, quae aconomia à priscis vocatur & theurgia, terram & mare, vt illa in Iliade ὄψα, in cælum tollere & attrahere : nempe mortales ipsos continentis & insularum incolas. & tollere quidem illos sursum inuitos quodammodo & resitantes, utpote terrae agglutinosos, è qua à principio factum fuit genus hominum. Tanta vis est verbi Dei, tanta facultas, ea facundia vis latens atque eloquentia in sermone sapientiae, duntaxat iis in auribus atque mētibus, quas aeterna providentia praefinitio pepulit & aperuit. Quicquid igitur Homerus ὄψα illam χρυσίαν sui Iouis, esse ac significare censuerit, nos eam esse credimus caelestis disciplinae multas per aetates serie, ad iuuandos mortales ac seruandos delapsam, sublimèque rapiendos ad vitam non occasuram. Hac porrò diuinitus ἐν τῇ παλαιᾷ καὶ τῇ κεινῇ contexta est mira varietate, verùm nusquam non sibi consentanea, vt per omnes mundi aetates eodem numine prodita, summæque sapientiae & veritatis complexu apta & comprehensa. Huius igitur philologiae vel amor vel studium, vera est & germana philosophia, solaque digna suo nomine. Nec verò disciplinarum vna numeranda quae ingenuae dictae sunt, vt ingenuis animis discipulorum dignae : cæterum numero ipsa eximenda, vt egregia, & eximia. nec tam liberalis censenda, quàm liberatrix hominum, mentiūque bonarum assertrix (qui finis est philosophiae) ex impotentissima tyrannide

metus, spei, lætitiæ gestientis, & tristitiæ supra modum contrahentis. & porro ambitus, atque cupiditatis, affectuū imperiosissimorū & dominorū metis: nihil non arumnarū ipsis iniungentium atque indignitatū. Et cum hac quidem ratione, tanquam nobili illa scala patriarchæ in cælum scandere datū est hominibus: id est enim sanctioris philosophiæ augustiorisque gradibus ad culmen euadere sapientiæ. tum verò Deum intueri licet, & admirari descendentem è maiestate sua, & velut ex Olympo vero summòque semetipsum demittentem in planitiem mundi, atque ad humilitatem humanæ conditionis se submittentem. Rursusque item ipsum post rerum humanarum status inspectionem, post seruaturæ mortalium prouinciam peractam & absolutam: in cælum suapte vi sublimem raptum suspicere & adorare, vnà cum Deo hominē hinc auferentē selectaq; hominū multitudini viā eodē aperientē & munientē. Atque hæc est ferè summæ philosophiæ, quā studiū cōsectatur Christianissimi, hæc Christi seruatoris æconomia dictæ commētatio, humano generi cælitus scalarū instar demissa, ab imo ad summū pertinentiū. nimirum ut iis scalis succedere cælo mortales quoque eius affectatores possent, quique terrenis retinaculis non ita validē adhærescerent. Nam & ipse sese viam esse & veritatem, & vitam olim dixit immortalitatis absolutæ omnibus suis partibus. Iam verò huius siue philosophiæ, siue philologiæ disciplina, interpret ipsa vtrique existēs, indēxque veritatis nequicquam à Græcis indagata, qui se philosophos appellauerunt: præter rerum diuinarum supremarūque doctrinam, magnam item illam docet scientiam, imprimisque commendabilem, quam τὸ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων antiqui nuncupauerunt: cuius etiam genus ipsi & natales è cælo repetendos esse duxerunt, propter eius excellentiam. Verum enimvero eadem hæc philologia, non ut prisca philosophia fiducia humanæ mentis subnixæ, consummatum hominem & perfectum numerat, qui animante tantum carne constitutus sit, animoque intelligentia prædito, & absoluta ratione imbuto, id est ad amussim philosophicam recta & exquisita. Ipsa enim hæc nostra philologia & prima & vltima docuit & demonstrauit, ad formalem hominis rationem perficiendam, duntaxat in regno Dei victuri, in cælūque tandē migraturi, Promethei (ut ita dicā) figmento & prædictis: accedere oportere spiramentum Mineruæ cælestis atque diuinæ. Siquidem eius numinis afflatu tinctos eos esse perfusosque necesse in ortu rediuiuo atque paracletico, qui genesim immortalem sortiuntur ac beatam: non fidere natalitio, sed munere diuino, atque præsentissimo. Quibus autem id non contigerit: iis nec intellectus acumen efficere, nec humana ratio poterit, quamlibet instructa magisterio philologiæ Mercurialis atque musicæ: quāque velint prædita sit ingenij, naturæ, industriæque præstantia: animam ut ipsi suam in potestate habeāt, & tanquam mancipio possideant.

Quippe cùm nec anima, nec eius emissarij ac satellites, qui sensus appellantur, ita res mancipi sint, teneri ut nexu rationis ac sapientia possint, humana quidem certe tantum, suâque ope nitentis ac fidentis. Verum maiori (ut dixi) philologia colenda & deamanda cùm animum tandem applicare sic institissem, ut eam studio complecterer ætati ac vitæ instituto attemperato atque modificato, tyrocinium nuper facere institui, vel potius rudimenta ponere. Opus autem de minoris ad maiorem transitu, an migratu, treis in libros diuisum, nunc edendum censui. Caterum in eius argumenti tractatione utranque utrique ita conciliare conatus sum, vel huic potius illam sic subesse volui, maioris ut minor maiestatem comiter conseruaret, ut verbis utar antiquorum fæderum: non etiam indecorè ut ancillari, quasi que pedissequa è vestigio esse videretur. Neque enim hoc illi imperare ego sustinuissem, quæ heri ac nudiustertius mihi erat loco numeroque rei dilectissima, nec ab ipsa id exprimere non agerrimè potuissem, quasi exoletis iam moribus, atque repudiendis. Tum autem veritus sum homines studiosos, decorique prudentes, & iuris huius consultos: ne aut meam in hanc obseruationem & venerationem, aut obseruationem erga illam, honorisque habendi rationem, paulò magis desiderarent. est enim utraque philologia, mea quidem sententia, illuminatrix vitæ, per ignorationem rerum humanarum diuinarumque tenebricosa: sed illa minor inferiorque, deorsum tantum præluceat intellectui: hæc autem sursum versus cælestem facem, grandem & illustrem præfert animis. Idcirco commodius mihi visum est, studiisque meis congruentius, sic illam in huius habere contubernio ac cemitatu, hæc ut ministerium suum & instrumentum agnoscere, lautum quidem illud satis nitidumque, sed tamen officio obsequioque obnoxium. Hæc illius ut comitatum vicissim non grauaretur, quasi supraquàm fas est lenociniis culta, profanisque pigmentis atque ascriticis ornata, à munditia sua discrepantibus. Est autem hæc ita moribus fortasse magis quàm natura comparata, ut à laetitia ac nitore abhorrere, non etiam ut hoc tempore munditiam auersari atque odisse videatur, duntaxat seueram & sacrosanctam. ac tametsi pullata diu fuit ipsa & horridula: in toga tamen talis fuit, non in pallio quoque. Verum enim vero libros de Hellenismi ad Christianismum transitu, libentius & cupidius fecerim, ànne aptius & accommodatius, ut tibi Christianissimo viro, nedum regi, dicarem, non facile dixerim: qui iis ipsis de rebus, quæ in illis libris disputata sunt, verba mecum interdum & scire & disertè, sæpe multis cum aliis auscultante me feceris, & admirante. Quapropter nisi me fallit opinio: horum librorum lectio non in Christianissimas aureis tantum, id est regias, incursum est: sed ad tuas etiam & Franciscanas accidet, æquas atque procliuas: siquando ab anagnoste tuo con-

*uiali libri recitandi sunt & enarrandi : ut tui sæpe moris est huiuscemodi
inter epulas vti auscultationibus. Id autem futurum confido, non quidem
ob opificis doctrinam, aut propter industriam gratiâque opificij : quæ sa-
nè tenues sunt, aut summum mediocres : ceterum operis ob speciem & fron-
tem, quam futuram apud te festiuam reor & gratiosam. Et noui quàm tibi
cordi semper fuerit Christianismi tutela, gentilis tui, atque necessitudine
antiquissima maiestati tuæ coniuncti. Quæ iure ipsa iandiu legitimo, ut
quedam pietatis hereditas religionisque tuenda necessitas, tibi cum isto dia-
demate nobilissimo obuenerit. Quippe maiorum tuorum meritis parta, con-
sensûque mortalium delata : qui maiores tui intra coronæ liliatæ ambitum
tantum decus inclusum, tibi per manus tradiderunt, perpetui utriusque regni
pignus, & tanquam palladium. Ac imperij quidem Francorum maiestatem,
quod Christianismi gentilitate non minus, quàm rerum gestarum gloria cen-
seri caput est, atque nobilitari iam inde ab incrementis suis, quantopere
doluisset imminutam fuisse paulò antè nefario facinore hominum amentium :
documento dudum declarasti in presens, in futurumque illustri. Nam præ-
terquàm quod rem quæsitam diligentissimè seuerissimèque voluisti : coniu-
rationem item impiam detectam vindicandam mandasti, allegari quo-
quo versus certis nunciis ac mandatis : etiam quod in huiuscemodi casu solen-
ne est fieri, supplicationes decernendas, obsecrationesque iussisti. Ad diem
autem condictum supplicationibus, ad urbem hanc aduolans, caput ac de-
cus regni, sedemque imperij iam dicti, peculiarem ac legitimam, iustitium
esse iussisti, tabernis occlusis atque feriantibus. Imperatâque viritim lampa-
dephoria, tute è regia in proximum fanum progressus, unde erat ineunda
vniuersa supplicatio, splendidissimo tuo comitatu & officio, tanquam au-
lico ministerio, incredibilis agminis pompam, ex quoque homines memine-
runt amplissimam, frequentandam ac celebrandam duxisti. ad placandam
utriusque iram Dei, portentumque sceleris procurandum, iustis omnibus exco-
gitatis, è veterique memoria repetitis, quàm fieri potuit expiabilissimis.
Cum interim in solenni atque religiosa transuersione sacri, augustissimi,
atque enthei, ingenti vi facium omnia collustrante, & lumen propè solis
obscurante, ferculorum longissima serie precedente, ut moris est, tanquam
instrumento officioque supplicationum & obsecrationum : tute, non tam ut
Rex, quàm ut pietatis signifer, & coryphæus prælucentium multitudini, cõ-
spiciet, è loco inferiore iuxta atque superiore. Quippe eminente cõspicue
nudo vertice in medio, & confecto globo procerum, & tanquam existente
& emergente regalis oris dignitate, è cohorte propè millenaria virorum le-
tissimorum. Quorum pars torque & cochleus insignis : hexaphorum victi-
mæ sacrosanctæ atque piacularis sub oculis tuis cingebat ac stipabat, visenda
a. iij.*

religionis specie. Quod ob pietatis exemplum ac specimen memorabile, ut apud plebem popolare, sic apud ordines prætextatos, primorésque gratiosum: multitudo quæ vias utrinque tectâque repleuerat, faustis acclamationibus, secunda tibi omnia prosperâque votis penè conceptis precabatur: simul soboli regiae summæ spei, quæ religiosa transuectionis insigne decûsque præcipuum erat, populôque spectandum, duntaxat secundum regiam tuam maiestatem. Has autem voces plausibiles, & boni plenas ominis, sic excipiebant homines iudicio & prudentia præditi: ac si cognomentum tibi quoddam magnificum post fatum populus ominaretur. Mihi verò oculis omnia auri-
bûsque haurienti & arbitranti, non modo labefactatam aliquantum religionis probæ maiestatem constituere ipse videbare, hoc specimen edens infidentis animo tuo amoris orthodoxiæ, perstrictique non leuiter Christianismi ignominiam sarcire: sed etiam impietatem, ac deterrimæ hominum sectæ facinus infandum ac detestandum in triumphum ducere: quem triumphû ipsi seruatoriæ victimæ, impietatis victrici, ac domitrici comparandum ipse duxeras: omnique religionis atque ceremoniæ specie exornandum. Quod ob pietatis specimen Christianismi sanè tutori ac defensori congruens, & plebiscito, & senatusconsulto, & equitum torquatorum procerumque placito, purpuratorum porro ac prætextatorum consensu, elogium tibi testimoniumque delatum est, ut si cui maiorum tuorum, id est Franciæ regum, amplum & magnificum ac magni ominis in futurum. Vale princeps benignissime, & vale quidem gemina valetudine. immò verò vale tibi, vale tuis: vale etiam mihi, & nobis item omnibus, quotquot sunt vale sanitatibus. Parisiis, anno à salute condita supra millesimû quingentesimo, quarto & tricesimo.

*Verbi certa fides ut mundo augustior esset,
Principe Francisco nobilitata fuit.*



DE TRANSITV HELLENISMI
AD CHRISTIANISMVM,
LIBER PRIMVS.



CONSIDERANTI mihi sæpenumero, Franciscæ rex potentissime, ad eamque mentis intentionem vehementer incumbenti, quodnam dignum operæ precium ex usu philologiæ, atque è literarum consuetudine ferre possem: & verò scire auenti quo pacto potissimum meliorem hominis interioris conditionem, ex eo labore studioque efficerem, cui externa & corporis bona quæ dicta sunt, posthabenda, ætate quoque florentissima duxeram: cupiditas incessit adeundæ tandem & consulendæ philosophiæ. Philosophia autem (inquit apud Platonem Socrates in Phædone) mortis est meditatio, eò demum ipsa spectans, vt anima corpori nunc consociata, hinc tandem sublimis abeat, corporisque contagione defuncta morte facili, ad Deum creatorem suum rapiatur, cuius illa similitudine ab eodem ipso prædita est, quàm fieri potest integerrima ab ipsius corporis societate. Et quidem ipsius philosophiæ munus est, id quod homines norunt discendi cupidissimi, animam vt hominis docendam suscipiat, corpori alligatam, atque illi cōglutinatam, & verò necessariò coactā, quasi per carcerem quendam, sic per corpus naturas contemplari, ideoque versantem in omni inscientia. Perspicit enim facilè philosophia carceris grauitatem. nimirum quòd homo ipse interior vltro sese vincendum quodammodo præbeat, indulgens cupiditati. eo autem fit, vt illa animam ita affectam, vt dixi, in disciplinam accipiens, sensim eam soletur & cohortetur, tum soluere vinculis illis eandem ipsam aggrediatur. siquidem manifestè ostendit, ea quæ per oculos anima, quæ per aures speculatur, & quæ per alios sensus, errore esse illa sanè plena & fallacia. Quocirca auctor est illi philosophia, iis vt è rebus semetipsam recipiat, quantum quidem licuerit ab usu eorum temperare. Illam enim oportere colligi & cogi in sese ipsam docet, sibi que demum vni iis de rebus credere, quas ipsa per semetipsam intellexerit, ipsas esse per semetipsas. Cæterum aliis de naturis, quarum aliud in alio quampiam esse contemplata

fuerit: eam opinionem habere, nihil ut earum verum sit. cuiusmodi ea sunt quæ sensu & aspectu percipiuntur ab hominibus. at quod ipsa anima videt, id utique intellectui, non etiam oculis obuium esse ostendit atque perceptum. Quibus documentis anima hominis philosophi commonefacta, simul ut intellexit, non esse solutioni supradictæ obistendum, continuo voluptatibus ipsa sese abstinet, abstinet cupiditatibus, abstinet ægritudinibus animi & timoribus, quoad eius facere potest. At verò Aristoteles in primo eorum librorum quæ *ἡ μὲν τὰ φυσικά* vocantur, Philosophiam ait esse scientiam veritatis contemplatricem. Cicero in Finibus, artem vitæ philosophiam appellat. de qua differens (inquit) arripere verba de foro non potest. Quandoquidem autem compertum habemus, priscam illam indagatricem virtutis & veritatis, vitæ lucem (ut ipse alibi Cicero dixit) & vitiorum expultricem, umbram modò exilem fuisse veræ philosophiæ, cuius studium ipsa nobis sapientia præscripsit & prodidit ipse mihi oracularem philosophiam aliquando adeundam esse duxi, quam Themidis consultricis & consultæ (ut Græci suo sermone vocant) antistitem esse videbam, eiusque oraculorum magistram & interpretem. hæc autem est amor Dei, ut Augustinus scripsit in octauo de ciuitate Dei: & ipsum philosophari, Dei est amorem colere. Ad eius porro philosophiæ cultum cum ægrè quidem ipse, seròque, sed tamen aliquando admissus essem, vel vi vel clàm vel precariò, aditum sensim aperiente, tum innata mihi quadam iandiu non leui opinione rerum mente perceptarum: tum sensu quodam abstractiore, res æternas suspiciente, fastidiosòque satis æstimatore rerum commeantium, iam mihi gratulabar ut discipulo sapientiæ, in eiusque clientela atque fide posito. Verum ut est vita ciuilis, ad negotia procliuis: curis statim externis aliis super alias subeuntibus, inde mox vel abductus vel detractus, abdicatū esse me ea disciplina magno cum dolore sæpenumero recordatus sum, in quam me disciplinam cupidè adoptare auspicatòque cœperam. Ex eius autem magistræ auscultationibus, nec liberis illis quidem, nec frequentibus (multa enim intercedebant infestaque auocamenta) sed tamen iucundissimis, pauca adhuc teneo sanctioris notæ acroamata, ætate hac affecta, & (quod dicere pudet) propemodum effœta, quæ nondum exoleuerunt. aculeum enim mihi reliquerant in pectore non hebetem, etsi non satis altè penitusque infixum. Horum verò nullum satis certum nec ordinem nec numerū adnotaui, nec rationem nunc inire

explicatam magnopere contendi. etenim parum constitutas vi-
ces earum commentationum habebam, quas occasio mihi inter-
dum largiebatur, non voluntas præfiniebat. In eo tamen studio im-
pensę operæ ne pœniteat, summam adhuc commemini, eò ferè
spectantem, literarum vt studiosos eos demum prudentes, & (vt ita
dicam) frugi lectores esse censerem, qui quęstas vehementi studio
facultates, in eam rationem referrent: quę non externis bonis, non
caducis & intereuntibus, sed propriis perpetuisque, & interioribus
instituta est, tuendis atque augendis. Ac mihi quidem in primis
accurandum id videbatur & exoptandum mortalibus, literarum
præsertim optimarum cupidissimis, constabilitas habere viuendi
commentandique rationes, ad easque consilium instructum & pro-
positum accommodatum. sic enim fieri, vt qui se precaria luce
frui, cùm mortalitatis conscientia, tum quotidianis exemplis me-
minisset, magnopere opprimi tumultu mortis non posset. Nam
quid inconsultius, quid miserius, quid denique præcipiti vitę simi-
lius, quàm in diem luce frui? quid autem turbulentius, quid de-
ploratius, quid denique abruptius, quàm ex tempore è vita ex-
cedere? At quota pars hominum non in diem viuere, non exte-
porali fato fungi videtur, si ad verum, non ad vsum loqui tantis-
per ipsi volumus? Adeò circa temporaria satagentibus, & sæpius
nugatoria, non occurrit, non subit ante mortis præceps vadimo-
nium, maturè commentari quid sumus: aut quidnam victuri gi-
gnimur: ordo quis datus: & metę quàm mollis flexus & vnde: quis
modus argento, quid fas optare, quid asper vtile nummus habet.
denique quę bona, quę mala post mortem nos mancant, rectè aut
secus vitam agentes: eaque perpetua. An verò non ex tempore,
non tumultuaria morte, non exitu præcipiti tolluntur ii, quos pri-
die fati videmus, omnibus sensibus corporis atque animi satagen-
tes de rebus interituris, protinúsque ab ipsis ad alios aliósque pos-
sesores transitis? quos honores simul hos atque illos incunteis
spectamus, simul ad alios aliósque gestienti semetipsos ambitu de-
signanteis, serie perpetua peruigilis cupiditatis? At eosdem mox au-
dimus improviso vadimonio euocatos, & interdum velut oborto
collo tractos ad tribunal illud seuerum & summum, vel candidũ
calculum ipsos in re præsentī, vel atrum & horrendum (ô disci-
men maius omni mentis conceptu) laturos in sempiternum. Hęc
illa est sedes iustitię iam præfractę atque inexorabilis: hoc iu-
diciū oraculari promulgatione prædictum: hoc (vt ita dicam)

apodyterium, in quo manticam hiantis cupiditatis homines, candidamque vesanę ambitionis exuuntur, inter sacrum (vt dicitur) & saxum miseri constituti. Hoc cüm futurum aliquando & prope diem fortasse, nemo nostrum ignoret: cuiusmodi tandem insania est hominũ, quanta amentia, quàm dira denique dementia, manticam illam, naturę corruptę vicio perfluentem pertusamque, ad summum implere omni ope, omnibus vngulis, velis denique remis que contendere? aut candidam illam ambitus, identidem aliam atque aliam suscipere, & deinceps laxiorem, ampliorem, splendidiorrem? Proh diui immortales, nonne & vox humana, & omnia mentis sensa, imparia sunt stupori exprimendo hominum ciuilibus institutis moribusque viuientium? Mortales qui sese tertio quoque verbo sic appellant, & meminerunt esse: quandiu incolumes sunt, animaduertere aut nequeunt aut nolunt, quę fors, quàm æterna, quàm abominanda & detestanda, iis prædicta sit diuinitus, ratæque lege, & verò Deiprimùm humanitate, deinde supplicio insigni, sancta, quorum aures occalluere ad præcepta interdictaque semel effata, agentis inter homines veritatis ipsius & iustitię. Nec verò antè se in fraudem incidisse ter capitalem norunt, ob contemptam, imminutam, læsamque maiestatem oraculorum, Christi que prædictionum, quàm ad exitum huius theatri ventum est, quem mundum scriptura vocat. vbi clausula est risus & tristitię: vbi spei atque timoris finis, tum cupiditatis, iracundię, superbię, ambitionis, omniumque curarum, studiorum, atque nugarum, è quibus argumentum contextum est vitę, quam in celebritate traducunt. Cüm interim quotidie recitata in vulgus & decantata seruatoris monita, peruigilationes & excubias nobis, alta & summissa voce indicant, quasque tesserã salutis consecrandę, conceptis hoc modo verbis, singulis nostrum inculcent: Inter spem curamque, timores inter & iras, Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Et Deus quidem olim cum mortalibus agens in præconiis celestibus, in prædictionibus vatum sanctissimorum, quorum ore tanquam spiritus sui tuba, ante aduentum filii sui hominum seruatoris vsus est: flexiloquus fuit admodum & interpretũ indigens. at in ipso vnigeno filio suo, & naturarum omnium primigenio, quo veluti Mercurio mandatorum sempiternorum vsus est, ad res humanas demisso inspiciendas & temperandas, cum potestate & imperio, apertus ipse pater fuit & planiloquus. quo fit vt causari nihil possimus, quasi rerũ eternarũ inscii. Horrēdas verò nō immeritò minas illas quon-

dam homines, humanarum tantum rerū prudentes, existimabant.

Πέμψω σ' ἡπερὲν δὲ βαλὼν εἰς τὴν μέλαιναν,

Εἰς ἔχεται βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα πάντων.

ὃς κ' ἀπὸ ρῆνα τέμῃσι καὶ ἕατα νηλεῖ χαλκῷ,

Μῆδεά τ' ἄξερόφας δάη κυσὶν ὥμῃ δάσασθαι.

At quot homines nunc sumus lactati in cunabulis religionis, rectè & verè philosophantis de natura diuina, nec lactati modò, sed porrò etiam nutriti, qui & nouimus & meminimus: crebrò etiam commemorare gaudemus, quæ supra, infràque: præmia suppliciaque, lege summa ac nunquam antiquanda, constituta, sancta, rata sint, & reposita mortalibus, rectè secúsque vitæ muneribus perfungentibus, atque è præscripto vel ex aduerso legis à Christo promulgatæ. Quî igitur fieri potest, vt in alta securitate futuri æui & sempiterni, somnum dormiamus Epimenidis? nempe quòd oculis atque auribus captos nos recordari nequeamus, qui in tenebris his Cimmeriis hallucinamur, prælucentem facem oracularem non obseruantes: & ad veritatis & salutis monita planè obsurduimus. Nam quotus quisque mortalium, qui per fas, nefas, quâ profana, quâ sacra exaggerant diuitias vrgente cupiditate, cogitare quicquam videtur de rationibus vitæ referēdis, & ad ærariū referēdis illud diuinum ratiocinationis exactissimæ, vbi ad quadrantē expensā cū acceptis tandē conferenda sunt, & reliqua verò cū ramento (quod aiunt) reddenda, vt Christus ipse Deus palàm cōtestatus est? Quis verò nostrū interdū ad sese, è strepitu, è turba, è tumultu ciuilis cōuersationis reuersus, cū rem ipsam, quam dixi, æstimauit attentius, & perpendit, non dementiæ instar esse, stuporem & suum & aliorum animaduertit, multiplicisque amentia? Tandem autem moris est, & veluti expressæ necessitatis, cū aut morbum aliquem acutum, & breui tollere solitum, sentimus adesse, quasi mortis apparitorem: aut minas alias, quæ sarcinas colligere quasi in tumultu nos admoneant, diuina tum mandata, monita, prædictaque meminisse, auribus nostris in vita toties nequicquam inculcata. id quod si nō serò, certè difficili fit tempore, nec tam nostro quàm inimici atrocissimi, & tunc (vt creditur) infestissimi. Quid eos qui vel improuisa vi, vel abdita mortis causā abripiuntur, medicósque fallente, qui permulti sunt: quid (inquam) ipsos habere animi, quid animæ tum putamus in casu necopinato, hinc momento temporis emigrantes in perpetuum? Quod si nunc paulisper ad normam euangelicæ legis æstimare socordiam nostram, vel verius vēcordem somnolentiam va-

b. i.

cet, qua quidem lege ipsa atque seueritate quæstionem Dominus ab se habendam esse de seruorum suorum nequitia prædixit, quantula tandem pars nostrum non semisomnis tollitur? & fortasse (heu miserandam sortem) in stupore mentis obtorto collo rapitur. Quonam tandem igitur? ἐξ ἀλλοτρίου ἡρώδοντα (iterum enim externis verbis in rebus nostris vtemur) τῆλε μάλ' ἤχι βάρτισον ὑπὸ χθονός ὅτι βέρετρον, τόσσον ἔρεβ' αἰδέω ὅσσον οὐρανός ὅτι ἀπὸ γαίης. At echetismi omnes & phalarismi, quos vt humana patiētia maiores auditos perhorrescimus, vix exiles sunt imagines tyrannidis tartaricæ, quæ finem nullum habitura est. Age, ignita supplicia, quorum elogia clara sunt in scriptura, & furialeis omnes manias, pœnâsque transmittamus, diris tenebris inuolutas, quando ea hîc obseruari satis præsender oculis mentis nequeunt. Sed quis cruciatus animi ad summum bonum nati, maior excogitari potest, quàm inexpiabile semper ac deploratum eiusdem boni desiderium, transmissi ab homine per incuriam, & pro nihilo habiti? An huius etiam multæ prædictionem, aure stupida, aut aliud agente, deuorabit admiratrix & indagatrix beatæ vitæ philosophia? Proh Christe sanctissime, optime ac maxime, quid est, si hæc amentia, si vēcordia non est? Nam quam acerbiores mentium immortalium carnificinam, quam Alecō (vt ita dicam) acerbiores, quem lubricum interiorem comminisci scuiorem hoc ipso quisquā possit, assiduè miseros æternūmque exedente? Philosophia prisca omnem (vt dicitur) lapidem tot sæculis molita est, vt summi boni certam notam comperire atque veracem posset, tanquam rei in primis homini soliūque expetendæ, tanquam omnes numeros complexæ felicitatis atque beatitatis. Quid igitur causæ esse dicamus, cur rei omnibus rebus præuertendæ, nos translatitiam curam habendā esse ducamus? nimirum quòd rebus diuinis & æternis considerandis, pectore incumbimus iam pleno vanitate, ac mente rerum sensibilium amore grauida & occupata. Vnde fit, vt monitis scripturæ, vt ipsius Dei filii responsis & prædictionibus, assensionem accomodemus (quod dicere vereor) academicam, non aliam vtique ob causam, nisi quia sensibus, temerariis vanisque indicibus, fidem res illæ præsentem nō faciunt & ex tempore. Atqui de animorum immortalitate, eorūmque post mortem conditione, aut cælesti sapientiæ auscultandum est: aut ad priscam polytheiam atheiāmque adeò iam reuoluti sumus, aut denique ex antiquitatis pleræque sententia, hodie quoque animos nostros cum corporibus damnamus mortalitatis: cuius sceleris omen Deus, Deus inquam pater auertat, &

filius, eorúmque spiritus. An in dubium fortasse nunc quoque ea venire possunt, quæ de superis, inferisque promulgata sunt? etiámne post scripturæ vtriusque lectionem, sanctitatem, maiestatem, axiomaticámque fidem præ se ferentis & redolentis, iis quidem certè qui integris sensibus animi præditi sunt, & libentes in ea cōmentātur aspirante providentia? etiámne post ectypi cuntypo, expressi signi cum annullo similitudinem, animaduersam & adnotatam, omnibus liniamentis exactam mirificentissimè? Rectè verò diuina de natura, de Christi seruatoris diuinitate humanitatéque reuerentissimè, ac summa cum religione differere, vnáque ita viuere, dicere vt id magis quàm censere videamur, ac semel constitutum habere, quidnam id est aliud, quàm in ludibrium vertere admirandam illam & venerandam diuini iam olim commercii à primordiis rerum, pactique antiquissimi humano cum genere historiam? Mihi enim videtur, qui libros veteris testamenti cum attentione philosophica legit, in iis que commentatur bona fide, tanquam historiam quandā ille diuinæ providentiæ percensere, mortali animāti & ratione prædito, immortalitatem parentis indulgentia condentis & molientis, multifariámque misero beatitatem parturientis. Hæc porrò tam varia est historia tam copiosa, tot talibusque tropis figurisque & verborum & sententiarum distincta, personarum etiam actibus, dialogisque exornata significatissimè, nullius vt amœnitas studii similis illi esse possit, nulla vt cōmētatio dignior maiestate philosophiæ. postremo res vt nulla contēplabilis, probare se magis hominis ingenio debuerit, externis disciplinis exculto, à salute quidē certè æterna nō auerso, ac præposterè de se merito. nam dramaticæ illæ commemorationes, cum sensus sint multiplicis, atque inexhaustæ interpretationis: tabernariæ tamen simplicitatis & planipedis licio detextæ sunt: mirè vt tragœdiam agat grauissimā scriptura, scita sub comœdia, eiusque choragio. In illo igitur studiorum paradiso, studiosissimo cuique literarum bonarum tandē faciendum est, animus vt philosophicus, è pascuis philologiæ migrans, (amœnis illis quidē, sed ieiunis vtilitatis per sese, & inanibus, ad eam rem duntaxat qua de re nūc agitur) implere sese contendat pabulo sacrosanctæ philosophiæ, (quæ epulæ sunt cælestis sapientiæ inter homines cōuiuantis,) ad iustamque habitudinē farcire & saginare pro modo captus sui. Nam quis nostrum non fatetur, quis verò nō libens audit, cum vsu ita venit, interdumque penè lachrymabundus, euangelium normā esse vitæ hominum cælipetarum, & canonem innocentiae? Cur igitur quod miramur

b. ij.

ipsi, quod suspicimus: cuius instituti sequaces beatos arbitramur, nō etiam cupimus, capeſſimus, & emulamur? Cur literarū admodū, aut ſupramodū fortasſe, ſtudioſi, non aliquando de Helleniſmo tranſcēdū eſſe efficaciter ad Chriſtianiſmū ſtatuimus? atqui dignū eſt ſublimibus animis, à doctrina probabili tantū atque perſuaſibili, ſtudia ſua ingeniūque exercitationē, ad doctrinā illam vt Græci vocāt *ἐνδοξὴν ἀντίοπισον*, tranſcribenda ducere, quæque auctoritate ſua pollet, ac pluſquā Pythagorica inter Pythagoreos. Externa autem philoſophia, (vt Chryſoſtomus inquit in epiſtolam priorem ad Corinthios.) tanquam ancilla vilis atque neglecta, ab ingreſſu ſacrorum theoriæ iam pridem repulſa eſt, indignaque exiſtimata, quæ arcana dominica per tranſitum introſpiceret. Quare inter hoc & illud ſtudium philoſophiæ, quā plurimum intercapedinis intereſt, quo Chriſtianiſmi commentatio dirimitur ab Helleniſmi. Verū ō diram (vt ad inceptum redeam) intellectus peruerſitatem, cū tamen ea demum parte naturam referamus diuinam. O tenebras pluſquā Cimmerias, ſtygiſque illis oriundas, quibus nihilominus in ipsis humana ſe prudentia venditat & circumſpicit, quaſi in claritate ſumma. Multo maxima pars hominum, qui in vita ciuili aliquo ſunt numero, aut rei cumulandæ ſeruire, aut faſtigio ſuo tollendo ſupra turbam, ita ſolent, vt quiſque luminibus gentilium ſuorum & propinquorū, vicinorum iuxta atque remotorum, magnopere obſtrudere, manibus pedibūſque contendat. Quotus autem quiſque, poſtquam in eum (vt ita loquar) nexum ſeſe dedit fortunæ atque cupiditatis, non vniuerſa contentione virium corporis atque animi, non omni deſtinatione mentis, atque adeò obſtinatione, ita poſſeſſioni incumbit tum præſenti, tum futuræ, rerum ſenſu perceptorum, tanquam inde nunquam diſceſſurus ſit? Contrā bonis illis æternis, & ad expectationem cæleſtis ac diuinæ vitæ reiectis, non ſic ſeruit perfunctoriè, pro iſſique ſibi quærendis, ita ſibi negotium exhibet, ac ſi pignus nullum pronuntiati ab euangelio ſeruatore donatiui cæleſtis, haberemus: aut incertum ipſum haberemus, aut imaginarium? At eo quid teſtatiuſ? quid conſignatiuſ? quid fide, quid opibus, quid auctoritate ipſius pollicentis, & quotidie clara voce confirmatis, ſubnixius eſſe poteſt ac ſolidius? Quid ruruſ vaniuſ, quid inaniuſ, quid denique fidei fluxioris, quā illa forſ aleatrix, quæ dicitur & creditur eſſe hominum fortunatrix: ſi quidem ſenſuum præſtigias animi principatui obrepentes, nobiſque fucum exitialem factitantes, cuiuſuiſ eſſet rationis deprehendere & refellere? ecquid enim fal-

lacijs est? ecquid ludificantius oculata rerum auritáque speculatione atque existimatione? quod Plato non nostrarum partiũ auctor, in Phædro suo grauissimè, alibique docuit. Ceterum, dixeris hæc inter varicosos centuriones, continuò crassum ridet Vulpeius ingens: tametsi vtinam hoc tantum militaris ordo rideret: togatis autem & prætextatis satis probari posset. Quid autem si ne doctis quidem ipsis, & philosophia imbutis? Quòd si ad oraculorũ mandata, monita, consilia, quasi ad libros olim Sibyllinos, religiosè adiremus in cõsiliis vitæ capiendis, Themidis vtique responsa memorię nostræ adhærescerent, quæ citò abeunt euanida, dum aliud atque aliud agimus, etiam inter sacra. Neque verbis autem Dei confidimus, neque arrhaboni ab eo nobis dato, (vt diuus Paulus loquitur ad Corinthios scribens) nisi exili fide ac superficialia, fugacique credimus. Proh superi immortales, rerũne æternarũ fidem atque auctoritatem, fluxam aut ancipitem esse suspicari quisquam potest, qui secutas eam esse copias illas innumeras meminerit militum lectorum & deuotorum, qui pomœria prorogauerũt Christianismi vsquequaque gẽtium? atqui illæ sola verbi Dei fiducia, quasi Vulcaniis armis fidetes, tum nouarum tabularum pronuntiatione erectæ, ob idque Christo sese suaque deuouentes, cuius sacramento bona fide dixerant: ingentem & luculentam fecerunt impressionem, in erraticam illam nationum barbararum, trucemque & minacem multitudinem. Vnde nam igitur hæc tanta animorum opinionũque discrepantia? Illi pro asserenda auctoritate religionis quidẽ rectæ, sed tamẽ inter homines magnopere tunc controuersæ, patrociniique indigentis, post bonorum abiectionem, honorum cõtemptionem, gentilitatum atque necessitudinum abdicationem, mortes insuper ipsi exemplaque exquisitissima suppliciorũ pertolerarunt, multa atque hilari spe perfulsi & confisi. Nos eodem oleo certaminis vncti, eodem sacramento adacti, eorum exemplis condoceracti & confirmati, vt videri volumus: non facultatum saltem vilitate & neglectu, non abstinentia luxus atque cupiditatum, eandem ipsi palmam aut similem liceri sustinemus: quanquam immortalitatis animorum dogmate, passim omniũque consensu recepto, duntaxat non profligatissimorum. Sed scilicet fides donum est diuinum & largitio æternę prouidentię, non prudentię humanæ, non doctrinæ, nõ Græcę alumna philosophiæ. Profectò nos tenebris & caligine multa offusi, & crassissima, ad verum cernere certũque non valemus rerũ differentias & qualitates, idcircoque plerunque deteriora sequimur, auersantes

B. iij.

commodioria & planè salutaria. Illi verò (quod miremur) magna ex parte tyrones Christianismi, recens cælo delapsi. donatiui luculentæ pollicitatione diuinitus auctorati, clariore insuper atque repræsentata æternarum rerum cognitione aucti, omnia bona commodâque interitura, præ æternis bonis pessunderunt. Quare macti esse fide ad extremum, per gladios, per ignes, per omnia supplicia, quamlibet horrida atque inusitata, diuinitus iussi sunt. Enimvero insaniam omni gradu cõparationis excedit, quod interdum atque etiam sæpenumero præ stupido intellectu & sensu emortuo, in rebus ter & quater capitalibus, & faceti (si diuis placet) esse, & ridicula fundere nō veremur: quod antiquam illam germanamque continentiam, atque innocentiam, ætatem iam ferre annosiorē negamus: videlicet tãquam antiquari die lex illa summa possit, & vt rogationes humanæ, desuetudine obsolescere, hominumque negligentia: immò verò quod sanctiorum ætatum disciplinam & ritus, vt commentitios iam & fabulares commemoramus: quod beatissimam illam securitatem rerum vltro citroque commeanantium, animique tranquillitatem, quatenus & qualis in vita esse potest: (cuius Græca philosophia simulachrum tantum admirata est, eique nomen splendidum euthymiam indidit) longè maxima pars hominum, imperitorum iuxta & peritorum, non modò nullo studio confectatur, sed etiam auersari odissèque videtur: denique quod ea quæ de superis, inferis, præmiis ac pœnis, prodita sunt oraculis sacrosanctis, atque etiam effata ipsius ore veritatis, tanquã ἀλυσ (absit Adrastia verbo) ἀπόλογον excipimus, vt est apud Platonem in decimo reipublicæ: siquidem hominum sensus non ex verbis, non è vultuosa facie, quæ sæpe vanissima sunt, sed ex eorum actionibus iudicanda sunt, clarisque significationibus: quippe qui diuinæ maiestatis edicta & hortamenta, auribus transmittamus stupidis & futilibus: nisi si sordidas potius ipsas habemus, & cõspurcatas appulsu rerum inanium & fallacium è medio manantiũ, quæ rationi per diametrum veritatique oppositæ sunt. Certè si ratio & intellectus principatum animi regimenque obtinerent, vt natura comparatum est, non mendosa atque integra: quid causæ esset obsecro, quin improba illa dictata cupiditatis, elationis, ambitionis, monitis sapientiæ præceptisque cederent, subeuntèque memoria rerum sempiternarum, caduca ista & fluxa concederent è præcordiis? Mihi quidem mediusfidius interim hæc estimati, Platonis quidam dialogi, decenter & appositè personati, multisque in locis grauitè & scitè sententiosi, scædam nobis inscitiam exprobrare videntur, ean-

démque capitalem. Nam quid causę esse dicas, cur in hac nocte, sub-
lustri quidem ipsa potius quàm illustri, sed tamen face doctrinę cę-
lestis & inspiratę, luculenter nobis pręlucente, non nisi exiliter cer-
nere eadem illa videamur, & tanquam per nebulam intellectus ad-
dubitantis, quę philosophum illum perspexisse nocte obscurissima
nouimus, ad lucernam tantum profanę philosophię commentan-
tem: tamen si in summa veritatis vehementer hallucinantem? Cui de-
disset ipsi quispiam, proferre impunę ut liceret quę de diuinis re-
bus vndecunque hauserat, posteritatique prodere? nec religiose ille
vtique protinus, nec ambagiosę, nec accersitis ad colorem aut veniã
personis, sed docentis auctoritate diuinis ipsis de rebus, æternis que
differuisset præmiis ac suppliciis. nunc quo minus id liberę ut cupie-
bat faceret, à populo Atheniensi perimbuto errore hellenismi, me-
tuendum esse sciebat Socratis damnatione. Quidam autem eius fa-
milie alumni, aduerso (propè dixerim) numine sacris initiati philo-
sophie emulatricis orthodoxię, veritatis imaginem magnopere ad-
mirati esse dicuntur, ab ipso primum auctore adumbratam probabi-
liter & mirificę, duntaxat ut illis temporibus ac locis, quę luce ca-
ruerunt. Verum illa Platonis familia, quę post Christi prædicationē
extitit, si vtendam orthodoxiam tractandamque rogasset ab ipsius
veritatis auctore vno & interprete, ut nonnulli alii fecerunt philo-
sophie quoque alumni, quid censemus eos de doctrina salutari pro-
dituros ac scripturos fuisse, germanaque philosophia? Hanc nos ho-
die veritatis disciplinam in paucis voluminibus, nec ipsis ita magnis,
consecratam habemus, literis nunquam fugientibus, cæterum arca-
norum sapientię capacissimis, vixque enarrabilibus humanę facun-
dię. Quod genus philosophie post percurra studia, quę dicuntur ex-
terna, atque etiam inter ipsa percurrenda, summa mihi semper ha-
bere inuitamenta commentationis visum est: ut pote in quo omnia
penę sint symbolica, vnde sensus sublimes, arcani, mirifici, cęlestique
odore fragrant, salubri cum voluptate ducuntur, pro ingenio cu-
iusque, pro captuque mentium minimę affectarum. Hęc tute cum
paulo intentius consideraris: sic Dei consilia mirabilia, sic rerum ab-
ditarum, & procul à sensibus summotarum, in medium prolationē,
in figuris oraculorum condita, multiplicique ambage inuoluta esse
dices, ut aurum in puteis, aut venis metallorum altissimis & sinuo-
sis. His adde ad hominum disciplinam, atque ad immortalita-
tis æternę ac diuinę commercium locupletandum, quod ille im-
portator salutis & sapientię Iesus Christus, diuinitate atque huma-

B. iiij.

nitare cōstans ratione ineffabili, cūm prouincia sua decederet vt cōfecta & absoluta, in cælumque remigraret: comites tamen ipse suos quoquò allegauit gētium (nullis enim finibus circumscriptū imperiū cælitus acceperat) legis & ipsos euangelæ promulgatores, & tanquam institores æternæ sapientiæ, in cælumque tollentis homines. Qui cūm multam copiosamque cælestium consiliorum scientiam oculis auribusque hausissent, Christo adhuc ipso inter homines agente: tum eo sublimè raptō, mox allapsu numinis spiritalis vberius multo cōdocefacti, & iam pleniore hauſtu sapientiæ inebriati, interpretes quoque ipsi esse cœperunt, magistrīque veritatis. Hæc porrō doctrina per eorū discipulos, & deinceps per alios atque alios, prodita Christi familiæ proceres, instar & ipsa iuris habet diuini. Etenim eius magna pars, vt simillimū veri est, etsi nō iure scripto cōstat, moribus tamē recepta est ætatū sanctissimarum, senatūque consultis constituta & confirmata: quorū auctoritas sacrosancta semper fuit cōsensu mortalium duntaxat vniuersorum. Verūm enim uero in huius philosophiæ studio mira admodum voluptate animus hominis afficitur, cūm latebris in illis ænigmaticis, in cryptis (vt ita loquar) sapientiæ, repositam iam olim conditamque veritatē, quasi animorum immortalium annonam intueri cœperit, tandiu frustra quæsitam Græcæ philosophiæ. Omnino enim id futurum est homini philosophiæ amantissimo, qui quidem auspicatō initia suscepit hominem nouātia, ex illo admirabili supplicio seruatoris enata, nobis semper memorabili ac prædicando, animoque versando: siquidem inde solum beatæ vitæ pignus habemus lustrico die initialique acceptum, idoneum, certum, opimum. At huius sapientiæ & veritatis vmbra, philosophi quidam Hellenismi alumni, odorātes, ne quicquāque in ea vestiganda cernentes & sua & aliorum studia esse consumpta, demersam esse veritatem perhibuerūt in profundo vniuersi: aut in imo adobrutam putei cuiusdam inexhausti, quod Democritus dixit: cūm interim non in imo rerum illa, sed in summo naturarum omnium asseruaretur vnde est oriunda. Cæterū simulachrum ipsius penes Hebræos erat, vel apud eos potius, in tabulario clausum, ne custodibus quidem ipsis nisi paucis, aperto aut perspicuo: tametsi eorum olim principes Abrahamus, Isaacus, atque eorum pueri & familia, eā olim quasi scatentem, è puteis quidem illi quoquo foderant modō. Cæterū Christus ipse postea aquam indidē viuam suo iure, iamque liquidam hausit & fudit: eaque demum aqua sedare sitim iucundissimè, atque desiderium implere philosophiæ potest, vel discendi

studio ardentissimæ. Proinde cùm ea sit natura præstantium animorum, vt quemadmodũ ignis sine sui alimenti vsu, sic illi esse nequeat sine actu sibi peculiari, ingenito & cognato, aut certè cum ætate agnato, quod eorum est pabulum: quonam tandem in pascuo potius animi ipsi, generis sui conscii & memores, pastum sibi deligere possunt, quàm in ea commentatione mortalitatis quæ ad immortalitatem spectat, mortalesque ipsos ad beatam vitam euehit? Nec verò eam nunc mortis commetationem dico, quam olim philosophia vt inane simulachrum amplexa est, in eaque contemplationem suã fixit, ieiunam, frustratricem, & erraticã: sed eiusmodi potius quæ fructum nõ leuiter qdoretur immortalitatis beatissimæ, qua animi philosophi intetio, quamuis excelsi atque auidi, alitur prolixè, & vegetatur indies. Hæc est illa mirabilis, illa beata philosophia, humanitatis viciatæ recôcinnatrix: quæ animum conditionis suæ prudentè cum corpore dissidere docet, à naturæque discedere corrupta & deprauata: neque id quidem modò, sed ipsum etiam à semetipso excedentem, & verò semetipsum exosum, ad summi boni consecrationem vergere, totumque in eo esse, quatenus fieri potest citra solutionem corpori exitialem. Quod genus sapientiæ, ipsis ignotum fuit philosophiæ cõditoribus, nominisque ipsius sanè vendibilis, ac splendidi proditoribus: quippe qui suo sapienti quem absolvere vel effingere sexcentis annis non potuerunt, omnia in sese posita esse putarunt, ridendæque cum vaniloquentia atque impia collegerunt. Hæc illa est manus Palæstinorum, quam puteos olim Hebræorum conspurcauissè, & tandem terra congesta solo equauissè, legimus. At Christianismi philosophia puteis ab integro refodiendis, non modò humum inde egerendam, sed veterem etiam humanitatem homini exuendam suscepit, nouamque induendã quasi vernationem. Quo fit, altero vt natali huius homo philosophiæ studiosus, humanum exuperet fastigium, tandemque inter superos diuosque allegatur, non hominum quidem ille decreto atque opinione, vt olim diu illi commentitii & poëtici, non vt Romani Cæsares, aut senatus cõsultis, aut successorum suorum sanctionibus: sed cælestis ac diuinæ prouidentię placito prærogatiuo. Hæc est illa gratia cælestis, hæc benignitas Dei, quæ humano generi cæli commercium (ô beneficiũ nobis gloriadum, ô compressis decus manibus amplectendum) interuentu verbi Dei eiusdemque filii indulsit & largita est. Hac eadẽ philosophia auspice, sanctiores animæ, rerum fluxarum contemptrices, vt nullidũ amoris pactæ, ab externorumque bonorum desideriis

intactæ, Christo se dei filio despondere solitæ sunt, conditori sapientia, hominûmque assertori è mancipio tetrici tenebrarum tyranni, atque è seruitute sensuum corporis satellitum, qui in fide sunt illius. Ita autè se despondent tanto vindici animæ, sua vt omnia doti dicant sponsalium gratia, suûmque arbitrium, quod suum habent: illæ maximè (tametsi obnoxium) si quicquam super habent sponsum autem vicissim semet vt ipsum, quantus est ille cumque, vicissitudine admirabili dedat, commemoranda conditione ac prædicanda instauratiuæ humanitatis. Atque huiusce quidem seu philosophia, seu vitæ per theoriam agenda, parens, conditor, præses & moderator est Iesus Christus, vnigenus dei filius, vt dictum est: omniumque naturarû primigenius, cui à patre omnium principio omnia sunt credita, omnia liberè, summòque cum imperio commendata atque permessa. Qui cum cælo delapsus esset seruandi hominum causa, cælum etiam terræ, cælestemque naturam & immortalem, terrenæ & caducæ conciliandi, atque etiam coniungendi necessitudine beatifica & sempiterna: humanitatis amictu tectus, inter homines tantisper egit (cætera quidem ille omnia humaniter, cæterum inculpatè & innocèter diuinitatis priuilegio) quoad vniuersa vatum prædicta, omnia patris mandata placitæque exhausit ad vnum, & peregit. A quo quidem ipso & primo & vltimo, vir sapiens idem atque innocens, numeris omnibus absolutus rationis rectæ atque integræ, ad vnguem informatus est. tum autem eius informatio nobis ad exemplum vitæ prodita, literis que consecrata est fide rata subnixis, atque axiomatis instar obtinentibus consensu tot ætatum, & verò auctoritate cælitus sapiûsque confirmata. Ad huiusce igitur sapientis, magistri que immortalitatis adipiscendæ præcepta, monita, præscripta, hominè sapientia cupidissimum, affingere mores suos oportet, tenorèque vitæ mortalis afformare, quàm fieri licet proximè per naturæ oblata conditionem, qui quidem ex hominum ordine mortalitatisque cōditione, ad diuos iam & immortales transcribi sese in perpetuum cupiat, id quod non minus plebeiis & officinariis, quàm equitibus & palatinis licet, & patriciis ac primoribus, quamquam quid dico non minus? cum sortis tam expectandæ competitor, conditionis que beatorum cupidos & ambientes, exuere & abicere prætextam fastus ac superbiæ necesse sit, pro eaque candidam induere simplicitatis & charitatis, ciuilis ac popularis affectu etiam habitûque demisso esse oporteat, minoribusque submisso, nō modò æqualibus? & verò iure suo & loco decedere plerumque, & com-

petitoribus maiora tribuere: omnibus denique æquo animo concedere? & quidem hæc omnia non sine captione modò, sed etiam optima fiunt conditione. Illud verò vehementer incommodum accidit philosophari hac uia auspicantibus, idque vitio iuris gentium euenit, quod penè iuris naturalis vim obtinuit ante seruatoris aduentum, nec magnopere postea exoleuit. Nam cum in artibus ac disciplinis humanis, inter enunciata rata atque confessa censeantur ea quæ ἀντίνομια dicuntur, id est primæ & communes animi notiones, mentibus humanis suapte euidentia anticipatæ: è cōtrario cum philosophiæ, tum verò Christianismi præcipua dictata, sensui cōmuni sunt paradoxa, prudentiæ eo amplius vrbana à primoribúsque cultæ, omnino antidoxa: cuiusmodi illa sunt apophthegmata, ex ipsius euangelii & seruatoris doctrina oriunda, & sapientia cælesti. Amorem sui vnunquenque deponere oportere: Quærendi studium abiciere: Gloriæ odium suscipere, duntaxat populo se & scenæ venditantis: A charitate cognitionis, affinitatis, ciuilibusque necessitudinis cuiuscunque abdicare se, quæ quidem coniunctam causam non habeat cum præceptis & interdictis huius philosophiæ: Suæ sortis neminem pœnitere, etiam iudicio hominum calamitosissimæ: Ærunnosam conditionem commodiorem censere, è réque & salute hominis philosophi magis esse, quàm rerum secundarum atque affluentium tenorem inoffensum: Genio suo ac cupidini eorum nihil indulgere, quibus homo carere citra noxam valetudinis possit: Alienam vicem pro sua iniuria dolere: Inimico quanlibet capitali & infesto placidum & beneuolentem sese præbere: & verò philotesiam illi, non in epulo modò seruatoris, (quod plerique ad dieculam, & defunctoriè facimus) sed vbicunque & cōstanter propinare, & semper optima fide, quenlibet sacris iisdem initiatum, non tantum propinquum sibi atque necessarium, sed ipsummet etiam alterum esse ducere: Nihil pro suo iure agere: Nihil suum esse dicere & propriū, omnia precaria existimare, omnia profectitia & herilia, præter nudam voluntatem, in vtrâque partem ipsam certo quodam modo liberam, nec tamen ingenuam: quin & eandem ipsam egere adminiculo cælitus aduentitio, ac præcurrente Domini comitèque indulgentia & aspiratu: Tum quod longè difficillimū, & tamen in prima & summa cera tabularum diuinarum, insignitè, & cōceptis imperiose verbis conscriptū, id omni ope facere, Dei vt amorem summum sic homo suscipiat, nullum vt locum vlli alii desiderio, ne sui quidem charitati relinquat in præcordiis suis: quo minus totus esse

in eo amore, hemioliúsque conetur: Omnium aliarum rerum amorem, voluptatem, ambitum, cupiditatem, loricarios demonis spiritus, lictoresque esse credere: Denique crucé seruatoris, crucé (inquam) & supplicium Domini, cultus & reuerentiæ causa nobis sæpe nominandum & prædicandum, Pythii illius & Cræsi diuitiis, Persarumque opibus celebratis anteferre: Ob ipsius admirationem & cultum nihil in numerato, in spe omnia habere velle: Præsentia Deo eidemque Domino fœnerari: pro iis futura ab eo stipulari, quæ cætuplicatò redeant, quæque optimo iure atque inusitato apud homines, in cælo possideantur olim, quod genus eos demum manet, ut oraculis testatum est: aut eos quidem certè, certissimè & copiosissimè, qui tolerantiam philosophicam fixa fide nitentem, per omnes vitæ actus approbauerint ipsi Domino huius sectæ auctori, præmōstratori, & prætori: quique ante extremum vltimi actus plaudite, nec lassescere cœperint ipsi, nec animo labascere. Huiusmodi dictata sūt antistitis ipsius cælestis sapientiæ, ex cuius vnius officina homines iusti & sapiētes exeunt: talisque erat eiusdem sapientiæ subantistes, qui Colossensibus scribens, acquiescere sese ait cum lætitia in vexationibus quas perpetiebatur: cum reliquias oppressionum Christi ecclesiæ capitis in carne sua exhauriret, pro ipsius corpore, quam Ecclesiam vocat. id quod pro modo gratiæ ipsi Paulo datæ eum fecisse intelligimus. Neque enim Dominus in sua ipsius tantum carne, sed etiam in electorum suorum passus est, & ad extremum vsque passurus, in quibus regnum suum constitutum voluit. *ἡ ἀνταναπληρῶ* (inquit) *τὰ ὑστερήματα τοῦ διὰ μένεω τῷ χριστῷ ἐν τῇ γενίμῳ ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὅσῳ ἡ ἐκκλησία.* Quibus verbis significat, ut Photius auctor est, nos omnes eo nomine debitores esse Iesu Christo, oportereque singulos, pro captu sui quæque moduli, & vniuersos eodem genere id debitum dissolvere. tametsi persolui non potest æs tantum alienum, quod ne Ecclesia quidem vniuersa soluendo est, id est corpus suo capiti. quod *ὑστερήματα* vocabulum significat. Natura enim humana suapte origine rea & obnoxia quamlibet oppressa, equare tamen non potest supplicium domini in fontis vsque quaque. Quod igitur & sigillatim & vniuersim patitur, passa est, passuræque est electorum vniuersitas, *ὑστερήματα* est passionis Domini, ut Photius intellexit. Verum hæc atque alia eiusmodi paradoxa, Christiana constituit philosophia: ut parens ipsa hominum renascentium, ita sensus & prudentiæ communis in diuersum innouatrix. Quæ nisi plena fuisset numinis præsentissimi, nunquam hæc certè aliæque eorum consequentia, tum in vulgus, tum

ad primarios ordines promulgata, vbicunque approbauisset terrarum atque gentium (quod factum esse nouimus) quantumuis idololatriæ opinione imbutarū atque polytheiæ, adde etiam voluptati & sensuum indulgentiæ nihil non tribuere assuetarum. Passim autem eadem philosophia legem nouam, inauditam & admirandam suasisit, immò verò legem summam, iure iam à principio gentium antiquatam, abrogatam, interlitam, obliteratam, quam Charitatē vocauit. Hæc lex quam rectam rationem appellare possumus, in homine quidē imbuto supradicta pietate: hæc inquam lex omneis mortales in familiam seruatoris ascitos, æquo iure esse censuit, duntaxat adoptionis iure: vt pote vnus & eiusdem domini imperio interdictoque parenteis. inter eos etiam necessitudinem germanitatis mysticæ intercedere, qui eodem parente sese genitos recordarentur, eodemque vtero editos dilectissimæ Christi sponsæ, mira fœcunditate diuinitus donatæ. O rem stupendam! ô plenam numinis præsentissimi! profectò omnem superat admirabilitatem, tantam fuisse auctoritatem, eam facultatem, id numen legis euangelicæ, leges vt naturæ, vt iuris gentium, vt iurium ciuiliū & municipalium in cōmuni sensu gētium vniuersarum, omniūque nationum, incisas tot sæculis, humanæque prudentiæ atque etiam philosophiæ iniustas, nō modò passim abrogauerit, ac per omneis ordines, classes, sexus, atque ætates, sed etiam deleuerit & absterferit: quod quidem certè ad eos easque pertinet (quæ innumerabilis est multitudo) quos quâsque per singulas nationes pignerari, per omneis ordines deligere prouidentia visum est, vt adoptiuos liberos seruatoris, vt in album illud æternum relatos diuinę præscientiæ. Quenam fuit autem illa vis tanta, vndenam ipsa enata, quæ & viriles & fœmineas mentes, seniles iuxta iuuenilésque, robore inuictò indomitòque firmavit? quæ huiusmodi persuasione pietatis dilectos illos suos imbuit, tinxit, inebriauit, etiam in Ægypto metropoli impietatis, vt parêtes, vt pignora charissima, vt coniuges dilectissimas, vt facultates: denique vt vitam, mortem, & cruciatus maiores humana patientia pro nihilo duxerint, præ amplexu Iesu Christi pro nobis in crucem acti? nempe vis illa fuit: illud fuit crucis numen præsentaneum. Crucis (inquam) illius & supplicii, tanto pòst honoratissimi futuri omniū insignium, atque augustissimi, quanto ante Christum in id lignum sublatum, fuerat suppliciorum omnium teterrimum ac detestabilissimū. inde enim gratia cælestis largitióque inexhausta vt è perenni fonte cælestis munificentia manauit, qua Christus tyrannidem principis

c. j.

mundi dissoluit. At quàm præsenti, quàm efficaci, quàm manifesto Dei numine eos esse afflatos, perfusos, suffusos offusosque oportuit, qui vitæ immortalis atque beatissimæ adipiscendæ certam spem & exploratam, in fide & institutis Christianismi, atque in pollicitatione seruatoris ipsius positam esse cerneret? ecquis eorum sensum eiusmodi tum fuisse dubitat, cùm Phalaristarum minas carnificinâsque spernerent, vt Seruatoris elogia ita ipsis viderentur axiomata, fide digna, vt prænotiones illæ quæ vocantur, iis qui mathematicis argumentationibus studere instituerunt? probè enim beati illi animi intellexerunt, morte Christi filii Dei, elatum esse imperium & principatum præsulis tartarei, quod quidem ad filios Dei pertinet, qui regnum Dei verbo & voluntate flagitant & expetunt. Cùm natura autem humana in huius vitæ mari naufragium fecisset calamitosum, ob iactum simplicitatis nudæ atque apertæ, culpa primordiali, diuque ea calamitas homines fefellisset in tenebris versantes diuinarum rerum ignorantia: sub extremum sæculorū (vt creditum est) & mūdo iam vergente quasque præcipiti, salutare lumen vitæ, plaudendumque nuncium salus ipsa mundo, & seruator Deus ac liberator attulit, naturæ in integrum aut paulo minus restituendæ. Hunc nuncium cælitus delatum, Euangelium scriptura appellauit, nomine sanè pleno fausti ac felicitis ominis. Quo lumine doctrinæ, salutis auctor Christus & conditor, cui eam ob causam euangelia debemus in perpetuum & agnoscimus, cùm discipulos suos præluere mortalibus totum per orbem tenebricosum iussisset ac docuisset, ipse in cælum denuo suapte vi euolauit. Dein lampade (vt dicitur) per spiritū subinde cælo delapsam, tradita affectatoribus illis suis, quos sibi ad tantam prouinciam totque prouincias legauit, per orbem terrarum sparsas, iis tametsi incomitatis & expeditis, nihil tamen aliud nisi Pithô cælestem dedit, facundiam illis in re præsenti, securis, nec antè meditatis, cum persuasione stabilissima abundè largituram. Ex eo igitur iam tempore reliquæ è naufragio delectæ, indolem asseruant gentis Abrahamidarum, per tot ætates, eadem duce philosophia comitèque recolliguntur, tanquam ad ipsam salutis lampadem lucen-tissimam: quoad numeros ascriptitiorum, cælestique colonie & sempiternæ destinatorum, diuina impleuerit prouidentia. Quem in diem, decantatam illam rerū vicissitudinis temporūque clausulā, æui etiā æterni ac beati auspiciatum & initium, Christianismus cultoribus sui præstituit atque pollicitus est. Proh diui immortales, obsecro vestram fidem, cùm hæc quæ ego dixi, certiora certis omnes esse

dicamus: plerique verò (vt opinor) ducamus & credamus: cur vndique nunc itur in mundi obsequium, inimicum legis euangelicæ? eleuatorem cælestium auctoritatū? abrogatorem eternarum sanctionum, numine manifesto multifariam confirmatarum? tum etiam senatus consultis receptarum prudentiæ atque religionis ætatum sanctissimarum simul & consultissimarum? Huic certè domino populi & magistro ita parère, ita se probare ab ineunte ætate solertissimus quisque contendit, quasi & vitæ & necis potestatem habeat. an potius quasi hominum productori atque fortunatori? O stultitiam meram, quæ frugalitas certa putatur & prudètia. At huius plani atque circulatoris, hominum (vt stulti putant) expolitoris, eam esse improbitatem atque petulantiam docet philosophia, quam propter nuncium ei remittere prudentia, conditionis suæ non nescia, debeat, in montemque sacrum è medio secedere, atque ibi ad studia incubere ab eo diuersissima. Verùm cum historiæ doctrinæque seruatoris fides & auctoritas, in opinionem & prouerbum venerit, vt compertissima, vt testatissima, vt consignatissima, vt numeros omnes denique veritatis & sapientiæ complexa: quid causæ est, quin stupidi, quin torpentes, quin excordes simus atque væcordes, qui monstro tot capitum ac sine mente, morem gerere, cum eo gradum conferre, in tenebris vnà micare (quod aiunt) & euagari, certo tantoque cum discrimine, non horreamus? faciem autem illam ducis philosophiæ, sacram & luminosam floccifacere, ad portum prælucentē beatissimæ tranquillitatis? Nam quis inficiari audeat, si paulo instes acrius, cum tantis fluctibus affectuum, cum tam turbulentis iactetur æstibus cupiditatum vita ciuilis atque in medio posita, idque nemo ferè intra pomœria natus orthodoxiæ, non agnoscit, non fateatur, non queribundè sæpe dictitet: solem tamen ipsum salutis, Phœbum illum sapientiæ, qui nobis assiduè radiis mirificis sacrosanctæ disciplinæ præluceat: sidera etiam ipsa Ecclesiæ Dei sponsæ, sanctarumque animarum luminaria, ab ipso illustrata, à multo maxima parte nostrum neglectim obseruari? adde si placet vel meo periculo, eorum quoque bona parte, vel deterrima potius, qui rerum diuinarum fidem, æternæque immortalitatis expectationem, tenere, tueri, ac circumferre debent: & verò qui in sinu refouere & vegetare Christianismi religionem semianimam, existimari volunt, charitate feruere. atqui nemo erit (vt arbitror) inficiendo, qui quidem se in oculis Dei meminerit conceptis serium in modum verbis, asseueratione adactum esse, tametsi nō iurata. Quid igitur hîc causabimur? cur omnes

c. ij.

animæ facultates pedibus eunt in sententiam istius, quem communem sensum dicimus: atque ab euangelii auctoritate disciplinæque desciscunt contra pactum adoptionis? cur cum tantum famæ ac venerationis omnium consensu habeat Euangelium: tam parum fidei habet in commerciis ciuilibus, tam parum obtinet auctoritatis in vita instituenda ad præscriptum communis prudentiæ? At dictata eius & consilia sufficiunt subsidiis ac præsidiis parandis atque expediendis ad casus omnes qui imminet humanæ conditioni. Cur igitur multitudo ciuilis consiliorum suorum summam, ac suæ mentis thesaurum, in prudentiæ communis præsidiis, multo amplius ac libentius, quàm in fidei fano deponit? Vtrum quòd doctrina ipsa Christi, quæ quotidie auribus nostris inculcatur, quæ oculis incurrit, numen illud suū amisit supradictum, quod tam luculentas quondam strages impietatis inueteratæ, inter innumeras gentes edidit, barbaras quasdam ipsas & bardas, quasdem etiam semiferas, & tanquam androsphingum potius quàm hominum, si quidem mores & ingenium, non faciem tantum spectasses, sermonisque commercium? An diuorum exempla tam multa, tam mirifica, qui vadimonium capitale cupidè, certatim, turmatim, agminatim pro Christo obierunt, ut multis & summis auctoritatibus testatum est & consignatū: externis quoque testimoniis congruè accedentibus, non eosdem (ut ita loquar) radios veritatis, aut eiusdem splendoris, nunc ut olim asseruant? At si hoc esse fatebimur, vnà quoque necesse est ut fateamur, non vetustatis situ id contigisse (seniū enim res huiusmodi non sentiunt) sed oculorum humanorum vicio, qui obtueri tantum lumen nequeunt, quod tempore & situ æui, splendoris incrementum accipit. Ex quo fit (credo) ut quasi Deo cōniunte, aut minus iam res humanas arbitrate, vita sibi indulgeat, veluti sublata legis diuinæ seueritate, aut sensim desuescente, cuius ætates illæ heroicæ, sanctiorum exemplorum fœcundæ, gratiam sibimet ipsæ ducebant nec faciendam nec obtinendam. Quasi verò edicta cælestia interdictaque euangelica, ætatem ferre tantam nō potuerint, ut sanctiones principum, ut scita populorum, ut mores emendati & inculpati, qui vix seculares esse soliti sūt vel lustrales potius. Basilii cognomēto magnus in quadā epistola, Mandata (inquit) euāgelica, nec interuallis tēporū, nec rerū humanarū inclinationibus cedunt: sed perēni tenore eadem ad posteritatē manāt, qualia semel ore ab illo promulgata sunt veraci, beato, & immortalī. homines verò nubibus similes sunt, quæ pro tēpestatum varietate, nūc in hanc, nunc in illam cæli partē feruntur:

ij vtique maximè, qui animo versatili & sententia euariante ducuntur. hætenus ille auctor, religionis rectæ prudentissimus. Sed ne sit tâta censura talisque iudicii diuini, quantam & cuiusmodi monumenta ipsa testificantur, quæ non dubio numine claroque consecrata sunt: ne sint supplicia peccatorum tam atrocia, quàm sæcula innocentiora esse perhibuerunt, quando iam nescio quid eiusmodi nobis incuria salutis quam præferimus, promittere, diraque securitas futuri æui videtur. demus etiam si fas est, hoc deterioribus iam sæculis, & fortasse deterrimis, permittamúsque nobis multo liceri minoris præmia cælestia, atque immortalia, quàm quanti discipulis suis Christus cælestium & terrenorum potens, & superum atque inferum, indicauit & addixit, cohortique vniuersæ contubernali suæ, atque eius affeclis & comitibus. quid tum? Num etiam persuadere nobis possumus, homines earum rerum cupidissimos, quas Deus inter homines agens, procul contubernio suo & comitatu cum detestatione amolitus est: homines (inquã) hîc beatos, & affluêtes omnium rerum copia, in earumque possessione animo acquiescentes: vnâque deliciarum aucupes: aut qui eam vitæ conditionem exoptent & persequantur omni animi contentione: animas denique secundis rebus altiles & farctas, sublimes hinc abituras post obitum credemus lege ab euangelio legillatore promulgata, ac sanguine suo sancta, qua tamen vna lege possumus? Neque enim Dominus noster, cû familia illa sua sodalitia, quæ facultatibus suis omnibus pignoribusque cessit, cû sese daret in eius clientelam & comitatum, alioqui etiam fidentissima & obsequentissima, tam dura conditione egit: & cum ætatis nostræ hominibus cõnientibus oculis acturus est, indulgētissimoque dominatu. Neque cohortem illam domesticam, & peculiariter euocatam, sequi vestigia sua voluit, conceptisque verbis sanxit, egentem ipsam & ieiunam, exuccam & exanguem, ac magnam partem cruentam: & nos tanto interuallo ad idem quidem sacramentum vocatos, cæterum exemplo longè diuersissimo, solutissima militia & luxu prædita dignos esse censuit, vacatione fruenter operis faciundi. Neque verò priuilegium latum apud superos de quoquam audiuius, ne vno quidem, lege vt diuina, vt sempiterna non teneretur. etsi multi diro errore ducti, solutos se ipsa arbitrantur quadam prærogatiua fatorum benigniorum, rerumque ad votum cedentiũ & secundarum. Nimirum multi mortales funeribus elati splendidis, opiparis, & interdum symphoniacis, sic beati hinc abeunt, vt principes olim Romani, sæuitia & impietate insignes, inter diuos refere-

c. iij.

bantur, specie quidem illi visenda spectandâque popularibus: cæterum ridenda miserandâque prudentibus. Hic fortasse reclamabitur ab his, qui inertiae blandientes nepotinaeque licentiae, quorundam nunc hominum auctoritate confidentius abutuntur, non indoctissimorum. Quorum verba ediscantes, quae nuper exierunt, pro oraculisque citantes, sententias fortasse partim negligunt, partim non intelligunt. Quasi verò operum vacationes virtutumque largiri consentaneè possint, qui fidei iustae ut iustificae, primas & secundas apud Christum Servatorem, tertiâsque tribuunt. Age, num copiae, num opes, num bona quae vocantur externa, ea conditione possidentur: sic cumulos homines felicitate beatosque efficere possunt, iis ut bona aeterna illa quidem, ac mentis humanae captu maiora, sed tamen futura, & in spectantum posita, mutanda sint? At sola ipsa explere desiderium animorum audentium, certum est inter homines sanae mentis. Atqui si in harum rerum perpensione accurata versari nobis aliquando vacarit, in mentemque venerit: nihil tam in causa esse perditae incuriae bonorum & malorum extremi reperiemus, quam labantem ac vibrantem fidem historiae sacrae doctrinaeque diuinæ. tamen si ô superi, ô Servator, rem miseram, culpam foedam, atque inextinguibilem. Scripturae & oraculis credimus haesitabundè, multis, magnis, solidis, irrefutatis auctoritatibus, exemplis variis ac mirificis sic confirmatis, nihil ut iis esse possit consignatius & compertius, rerum quidem certè intellectu iudicioque interiore comprehendibilem. Etenim urbana multitudo & civilis conuersatio, errorum omnium magistra, docent nos in perditis vitae rationibus, subsidium mutuari tristi ac trepidae conscientiae, ab disciplina Academiae, ne pro certo quippiam habeamus, eorum etiam quae de superis inferisque naturis oracula prodiderunt. At perpurgatis auribus initiatisque esse oportet, à multitudinisque male sanae auscultationibus integris, qui mysticae doctrinae studere constituerit, eique assensionem semel accommodare. Nam si fides labat, charitas protinus tepeat necesse est. at verò sine ea operam & oleum huius studii perdere nos novimus: ita spes languebit & vanescet, & frustra tandem erit & laborum & contentionis summa. Hic tu quid respondeas, si te ita affectum sacra philosophia ut discipulum suum roget? Heus tu literarum hactenus cupidissime, est aliquid quod tendis, & in quod dirigis arcum? An passim sequeris coruos testaue, lutoque, Securus quod pes ferat, atque ex tempore viuis? Certè aut tecum ipse quisquis es literarum amantissimus, aut mecum ego potius ita loquar necesse est, quasi per

parodiam, & verbis illis vtar Satyræ. Quidnam igitur miser ex cultu pietatis & philosophiæ expecto? Immò verò si nihil pensi rerum æternarum habemus, aut si ambiguum quippiam & alternans habemus: quò tandem nobismetipsis negotium exhibemus in Hellenismo, & ad philosophiam incumbimus, quæ meditatio mortis esse dicta est à Platone? An expectationem illam tandem cælestis fructus & sempiterni, quem tertio quoque verbo quisque nostrū vsurpare in sermone solitus est, quem nobis, quem liberis, quem cōiugideamata, quem amicis, ac de nobis prolixè merentibus, libenter ominari & exposcere diuinitus gaudemus: tanquam nucem extrinsecus nitētem, intus forsan marcidam, asseruare in sinu nos putamus? Miserum me, si ita est, atque etiam nefariè ter miserum, qui aliud de re tanta sentiam & pronunciem. Age verò, quidnam causæ esse censem, quòd cū longè maxima pars hominū, in tanta vitæ securitate degamus, mortisquē sempiternæ: vix tamen decimū quēque videmus vel in morte placida, vel in morbo tumultuoso, non vehementer trepidare, venturique æui recordationem quasi deprehensum perhorrescere? Quid quòd facinorosi homines, & ter atque quater ausi capitalia: aliique qui in summa obliuione & incuria æternitatis vitam egerunt, ad vadimonium mortis præsentaneum & post spem vitæ conclamatam, in cælum supplices suspiciunt: Deūque miserabiliter diuósque tāquam in tumultu aut naufragio, inuocant? Nempe quòd sensuum ludibriis, quasi nebulis quibusdam à principatu animi tum disiectis atque abscedētibus, lumē statim veritatis validiore appulsu incumbere animo ipsi incipit: intellectūque ad cōtemplationem earū rerum ciere, quę impendent iam propius, & veluti capiti incubant animam agentium. Simul numen veritatis suapte vi tunc in mentem insinuat hominum, nisi si qui sunt torporis conclamati, qui callum iam obduxerit eorum præcordiis, qui pauci sunt. hoc enim non nisi planè excordibus euenit, vāsanāque rerum æternarum incuria correptis. Iccirco acris & strenua futuræ omnino rei anticipatio, ad mortis commentationem nos perducere debet, vt semper appetētis, cū iam dies eius cesserit: hominem autem eo amplius philosophiæ studiosum, in rem præsentem sistere, vt immortalitatis in vtranque partem conscium vberiore fide, & persuasione non labante. Sic enim fiet vt terrore mortis animus per totam vitā vacet, qui vulgò molestus esse solet, animorūque constantiam frangere: cūque vasa mortis conclamata fuerint, quod sæpe magna cum trepidatione vsuuenit etiā nō quibuslibet,

c. iiij.

animus semper ipse in statione sua excubans inueniatur, ac semper apud se sit: ut denique sibimet homo ipsi in articulo rei summæ, atque in ultimo discrimine non desit, in quo ipso summa actionum omnium, consiliorumque & studiorum vertitur: quippe ubi cum hoste perpetuò certamen in æuum decernitur, eodémque infestissimo. Ecquis autem nouit an Dei placabilitas, quanquam aditu semper obuia ac facilis, blanda etiam sui in vita, benignaque exhibitrix, in fera illa tumultuariâque pœnitentia, non tam mœsta ob admissa, quàm pauore perfusa, minisque fati imminentis expressa, Atropi sese germanam ostensura sit? O si id euenerit, miseras ac perditas ærunosæ vitæ rationes, & pudendas pœnitendâsque, iis maximè. atque in primis, qui beati & affluentes fuerunt, titulosque & grandi nomenclatura illustres: quorum memoria extructis altè monumentis, cum elogio vitæ, longè latèque consecrata, atque in multa vitæ sæcula propagata est. O nubem erroris densissimam, ô caliginem hominum cæcatricem, qua vita obducta est in medio posita, atque in celebritate hominum, ut malè olim & præposterè lucem Latini hanc vitam appellauerint. Deus optimus, maximus, genus humanum ad imaginem suam factum, seruatum quondam volens, vicemque eius dolens & miserans, ut in tenebris insipientiæ dire & insanie, ad interneccionem præcipitantis populatim atque conferctim: filium vnicum, æqualem sibi æui æternitate, cæteraque omnia parem, humanitatis plenæ velamento circumdatū, ad homines ipsos cum mandatis liberis liberoque imperio legauit: tanquam Mercurium quendam futurum, interpretemque commercii cælestis & sempiterni. Is nasum sapiëntiæ verè ac diuinæ, mirabilè atque memorabilè nobis cōdidit, aduersus prudentiam cōmunē, sapiëntiâque hominū quamlibet prædicatorū natura præstati & eximia. eius porrò aduentu & disciplina factum est, ut Hellenismi philosophia, quæ emunctissimæ naris antea atque sagacissimæ esse sibi omnibusque videbatur, fastigiūque humanæ mentis Deo propè equiparasse, mucosissimam adhuc esse ipsa se fateretur. Hoc nihil vnquam maius atque admirabilius, aut fecisse Deum aut facturum esse, humana intelligentia cōcipere aut comminisci potest. Huius miraculi commentationem animo aliquando philosophico, eiusmodique beneficii diuini memoriam, cuius etiam homini sæpiissime excidere, qui quidè per imperitiam rerum, rusticitatēque plebeiam, non impediatur rem ipsam animo versare & perpendere, sceleris instar est profectò ingentisque piaculi. At quotus quisque nostrum, in tanta studiorum va-

rietate, vel ad literarum cognitionem, vel ad quærendi possidendi-
que auiditatem, vel ad ambitum incumbentium, vel ad sensuum de
linimenta pertinentium, ad succifuias saltem horásne dicam, an ho-
rarum quædam momenta, raptim ac defunctoriè succifa? in iis æsti-
mandis & considerandis bona fide occupatus est? cùm interim to-
tus sit, non in legitimis modò seriisq̃ue cogitationibus: sed sæpe nu-
gatoriis, & nihil ad summâ institutæ vitæ pertinentibus? O diram a-
nimorum torpedinem spem prorogandæ vitæ: quæ nos à commen-
tatione harumce rerum & similium auocat. digna certè ipsa quam
propter veratrum (vt dicitur) album sumptitari debeat: quippe cùm
mens humana tum maximè ab infania liberanda sit, quam atram
bilem Græci vocant, cùm rationis certamen sensuumque commit-
titur, aduersariorum acrium & pugnacium: id quod euenit quoties
philosophia copias suas instruit aduersus dictata & præcepta ciui-
lis prudentiæ, sensusque theatrici. Cæterùm Christum suum charis-
simum Deus ideò ad orbem terrarum descendere è cælo voluerat,
vt homines veritatis inuestigandæ mirabili studio præditi, iidem-
que luculenta erratione ac deuia indagatione aliorum abducti, in
viam tandem redirent ad veritatem ipsam ferentem, indeque in cæ-
lum spectantem, rectaque pertinentem. Eius igitur aduentu & ma-
gisterio factum est, vt enunciata diuina, oraculorumque proloquia,
ac vatum sanctissimorum prædicta, cælitus olim edita, longo inter-
uallo homines primùm pauci intelligerent, futuri paulò post populi
præceptores. dispulsam enim oportuit crassam rerum diuinarum
ignorationis nebulam, quam orbi terrarum offuderant stygii Protei
præstigiæ, qui circulatoria ludificatione præstringens oculos morta-
lium, eos in terram conuerterat, ne sursum aspicientes, trans cælum
perspicerent. Quam in pestem incurrens prisca philosophia, ea sibi
tandem munia arrogare ausa est (vt est insolentia) quæ diuinæ sunt
potestatis atque efficientiæ: in veritate interim persequenda & ve-
stiganda toto ipsa cælo aberrans, vt est in prouerbio. Proinde cùm
manifestum sit nobis, quòd sapientiæ humanæ orbitæ, commenta-
tionisque philosophicæ vestigia, in ambages quondam ferebant,
procúlque nunc abducunt studiosos sui, atque auertunt à cælestis
disciplinæ methodo, cuius Christus seruator mortalium, auctor &
præmonstrator fuit: aliam nobis viam ineundum est, ducem etiam
sequendum orthodoxiam, cuius vtique doctrina tanquam amissi
vtendum est ad dirigendas orbitas curriculi philosophici. id quod
viri olim permulti doctissimi cùm Latini, tum verò Græci fecerunt.

Et quidem absque doctrinæ diuinæ lumine, sine oracularium monumentorum adminiculis, gratiæque inde manante paracletica, nihil est opis in sese mortali prudentiæ, duntaxat ad semetipsam in cælum erigendam, ad viamque capeffendâ ad summum bonum ferentem, qui scopus est philosophiæ: quippe ad æterna contemplanda suapte vi caliganti & hallucinatrici. cùm etiam alioqui rationis (vt ita dicam) frēnos, humanitatis efferatæ petulantia, virtutis-que lupata duriuscula, nequaquam prius æquo animo libentique acceptura sit, quàm diuini numinis reuerētia, spēsque sempiternæ beatitudinis, intrò ipsa inseruerit. Ad summam si adurgere nosmet ipsos ratiocinādo institerimus, necesse est, vt opinor, ista reciprocari, Si doctrina seruatoris euangelii, auctor est & magistra veræ & infonsis ac perpetuæ sapientiæ (quod nemo tam perditæ mentis est, quin protinus ponenti assentiatur) germanam vtique stultitiam fateri oportebit disciplinam hanc esse temporariam & secularem, à communi sensu gentium oriundam, quæ ciuilis est vrbanaque prudentia, quatenus quidem certè diuinæ opposita est per lineam (vt aiunt) dimetientem. Et si partes omnes veritatis habet illa (id quod in prouerbium receptum est ratæ fidei apud omnes, quódque instar habet axiomatis) nimirū hæc omneis habet numeros falsitatis. Age, si illa sacrarium est ipsius veritatis (quod in confesso est vbique gentium Christianismi retinentium) in hac vtique continuò fatendum est, vanitatis esse diuersorium. Denique si illa salutaris est, ac summa veneratione digna (id enim nemo inficias it) hæc continuò exitialis videbitur, & planè detestanda, si quidem hanc tute institeris cum illa contendere. Iam verò si ne præsentia quidem perspicuè cernit animus, nec futura prælagit cōmodè satis & tempestiuè: vt qui tenebris obrutus sit stolidarum opinionum: certè ad doctrinam illam numine asflatam & consecratam adeundum est, vt ad lumen certissimum atque saluberrimum. Verum ô mores inconsultos & præposteros: cùm ipsa sapientiæ monumenta in manibus habeamus: cùm in precationibus atque ceremoniis quotidie recitētur, quas maiorum placitis & exemplis frequentari ab omnibus institutū est: denique cùm veritas ipsa auribus nostris identidem vltro semetipsam inculcet: quotus quisque nostrum inde abiens, eorum quæ audiuit, ad vesperum vsque meminit? meminit dico? immò verò quis satis attentè auscultat, interim dum veritas ipsa atque sapientia, quasi cum populo, cum patriciis, cum omni ordine agit, præceptaque sua è suggestu monitæque ingeminat? Quis verò animo adest præsentī &

contento? Quod nisi res alias interim aliâque ageremus, inter cæ-
 lites ipsos vtique versari tantisper videremur, dum verba sacrosan-
 cta leguntur & palàm pronunciantur: dum tanquam oracula indu-
 bitata funduntur: partim ore Dei prolata, eiusdémque hominis: partim
 ab entheis vatibus multis antè sæculis tum mirè prænunciata, tum
 cōgruētissimè iis quæ ab ipso gesta sunt inter homines & exanclata.
 Videlicet hoc illud est sermone diuino significatum: aures plerique
 non habemus audiendæ sapientiæ, veritatique exaudiendæ. At o-
 racula cælestia numen suum non perferunt, cū in aures insinuant
 tantis sacramentis quolibet modo inauguratas, & more translatitio.
 Nam nisi torpentem cælestibus promissis & interminationibus
 auditum haberemus (& præmiis enim & pœnis lex diuina sancta est)
 ecquis tam perditus est animi, ecquis socordiae tā deploratæ, quin pa-
 uore interim tremorēque perfunderetur? Nunc cū Christo quoti-
 die auscultare inter sacra soleamus, præmia ac supplicia, tāta in vtran-
 que partem, eadémque sempiterna pronuncianti: inde nihilo secius
 abimus tum hilares, tum vultuosi, prout res nobis natæ sunt, studiis
 nostris atque desideriis aut aduersæ aut secundæ: futuri interim ipsi
 æui & perpetui, & cæli iuxta tartarique securi, aut securorum simil-
 limi, præ stupore mentium. Hic facere nequiui cū minimè id af-
 fectarem, quin paulum digrederer ab instituto cursu. veritus sum e-
 nim præuaricationis crimen, si id silentio prætermitterem, quod in-
 currebat in stilum: etsi rursus vereri subiit, ne vlcus tetigisse incon-
 sultè viderer. Quare vt alternantibus sententiis aliquando defun-
 gerer, hætenus periclitari statui, vt specillo magis quàm vngue vlcus
 attrectare auderem. nam scalpellum adigere tam luculento parentis
 communis abscessui, nequaquam filii esse duxi, qui infirmitatem
 manus suæ atque imperitiam nosset. at fomentum admouere non
 sustinui, ne aut frigidum iudicaretur à lectoribus, aut fortasse præ-
 calidum, quod non minoris esset culpæ. Verum enimvero cū ad
 vitam agendam duas vias diremerit atque insigniuerit doctrina e-
 uangelica: salutis alteram & immortalitatis beatissimæ: alteram in-
 ternecionis æternæ, ac spei proiectissimæ: earum in dies discrimen
 magis ac magis fugit, cū tamē luculenta sit orbita intermedia: ac
 tantum inter se distent, quantum fines & extrema bonorum & ma-
 lorum. Plerique autem mortales non intra viam à Seruatore sectā,
 ab eiusque discipulis atque eorum sequacibus complanatam, sed in
 spatio contermino vel potius controuerso, viam facimus: securi quò
 pes ferat, vt suprà iam dictum est. Eorum autem minimè nunc me-

minero, qui per orbitas transuersim exultâtes, horum illorumque, quâ fas, quâ nefas expatiâtur, soluti metu legis diuinæ & immortalis: Cuius sanctio quâlibet prolixè cōcepta aut minaciter, nihil tamen in præsens spondet atque interminatur. Cæterum non pauci sunt, quântum conicere licet, qui libertatis dissolutæ placita comprobantes, nunc in hanc, nunc in illam causam Academicorū more transeunt: nullius addicti iurare in verba magistri. Quod institutum vitæ nuper cœpit longè luculentius quàm pridem, impudentiûsque inualescere, nouarum opinionum occasione, quæ magna ex parte cupidius exceptæ vt festiuæ, quàm intelligentius, vt ab imperita multitudine, fraudem capitalem creauerūt corporibus atque animis multorum mortalium. nempe quasi præconium gratiæ euangelicæ, quæ legis seruitutem disciplinamque obnoxiam excepit: non ad pileum mortales insontis vitæ & abstinentis, sed ad licetiam quandam vocari Saturnalium & Floralium. iustitium etiam planè indixerit antiquatis legibus ac moribus, quotlibet ætatum consensu probatis & receptis, & verò ætatum sanctissimarum atque doctissimarum. Hæc manus primùm tenuis & obscura, sensim duces habere cœpit & signiferos armis instructos doctrinæ & facundiæ. Sed vt est temeritas multitudinis, quadrato penè agmine vel incondito potius, partes facere longè gentium ausa est, nonnunquam inter se dissentienteis. erumpunt autem in dies in alias atque alias rerum nouarum molitiones: quasdamque fœdissimas & sceleratissimas: nō iisdem tamen auctoribus indignitatum, vt ex scriptionibus apparet, nec iisdem voluntatibus. etsi inceptorum huiusmodi amentiaque multorum inuidia, in eos inflammata est populari præiudicio, quorum nomina inclaruerunt in provinciis quibusdam, ob susceptum primò facinus aut subscriptum: quod per ora hominum agitatum est variis rumoribus. Verum id permagni & præcipuè refert, quid dextro, quid sinistro numine susceptū sit ab vnoquoque hominū, in ausis huiusmodi: quod dies (vt opinor) nō lōga declarabit. Peruellē autē vt ad res huiuscemodi cōmētandas si factū oportuit, & cordi fuit prouidentia, doctissimi tātum vtrinque, atque etiam existimatissimi accingerentur, nō etiam audacissimi. Eò autē res euasit partim horum confidentia, partim illorum culpa: summus vt apex auctoritatis, honores propè diuinos adeptus dicam, an meritis? eorum nomine sacerdotum, quos sibi quondam Christus cælestis pontifex legauerat adhuc inter mortales agens, sanè malè nunc audiat ad vulgus & incommodè, ne quid amplius dicam, & verò in ordinem propemodum

redactus sit sermone permultorum, & licentia temporum. Inuidia
 porro vt multis olim ætatibus in vniuersum, sic nostra flagrare cœ-
 pit vehementius sacer ordo mortalium, quem profanis ordinibus
 aiunt oportuisse ex instituto Seruatoris præmonstratorem viæ salu-
 bris esse, atque è loco superiore designatorem: id quod inter homi-
 nes satis conuenit: de eoque demum controuersia est inter eos ac
 reliquos omneis ordines, quòd prætores quoque eosdem esse ne-
 cesse fuit, exemplisque prælucere, nisi ordinis maiestatem imminue-
 re existimari non nollent, aliisque penè contemnendam præcipua
 ex parte præbere. Etenim si sodales illi dominici, reliquique Chri-
 sti discipuli, quique ab vtrisque eorum sanctissimam & germanam
 acceperunt disciplinam vitæ, vicissimque eam posteris tradiderunt
 per incorrupta sæcula, successoribus in locum suum successis, pieta-
 tis æmulationem tantā vitæque sanctitatis reliquissent, quanta exē-
 pla, quāque solida earundem virtutum reliquerant: haud dubiè
 (inquiunt) ambitio & cupiditas summotæ procul essent ab aris sa-
 crofanctis, ab earumque ministris: quæ res duæ maximè à regno
 Christi dissident. Deus in filio suo Iesu Christo, quem pontificem
 mundo summi dedit sacramenti, hominibusque salutaris, cælestis
 etiam philosophiæ conditorem & interpretem, exemplum nouum
 ac mirabile statuerat, crucis suscipiendæ vnicuique mortalium, qui
 ipsum sequi cuperent vt pontificem, vt ducem delectæ à patrefa-
 miliæ, beatissimæ illi hæreditati æternæque destinatæ. Id exemplū
 præceptumque, quos maximè venerari, imitari, exequique decebat
 & oportebat, quibus diuus ille sodalitatis delectæ coryphæus, & col-
 legæ ipsius, iure successorio in manus tradiderant lampades magi-
 sterii, eos iam diu ipsos copiosos imprimis factos, & quod longè di-
 screpantius est. Sed præstat (vt opinor) vlus altius non explorare,
 ne immemor esse contestationis videar à me factæ: atque hæc si di-
 uis placet (inquiunt) auspiciis Christi Seruatoris nostri fiunt, eiusque
 asseclarum sub infulis & velamentis pietatis atque innocentiae. Id
 verò quā incongruè eorum professioni, quā absone euangelicæ
 simplicitati, quā versa vice religionis priscæ, quā sursum de-
 nique deorsumque (vt apud Græcos dicitur) in mores receptum
 sit, nullus non intelligit, & omnes vociferantur. Nam qui Do-
 mini nostri quasi sub iugo traducti & furciferi (hoc enim Christus
 Dei filius deusque, seruandi nostri ergo & esse & videri sustinuit) tes-
 sera & insignibus, sese sacrosanctos esse meritò contenderent & ve-
 nerandos, eos conueniebat ipsos, quo similiores Domini essent aut
 d. j.

certè viderentur, parcius de genio suo cautiùsque mereri. nisi verò censemus. Sed rursus hîc necesse non habeo multorum sermone commemorando, litem meam facere ex aliena controuersia, quasi in causam subscripserim, quæ parum mihi cordi est, quàmque maiorem esse non inficio cognitione mea. En quò mores (aiunt illi) deflexere ab illa disciplina heroicorum temporum, nobis quidem illa commemoranda semper & prædicanda: sed tamen vltimum à nobis, ab auis que nostris tritauiusque salutata, ac nunquam reditura. aut post insignem quandam certè reditura tabernaculi Domini conuersionem, vasque eius in officina priscæ seueritatis bona fide interpolata, magnopere vt mirari homines non debeant antiquas dissensiones in præsidiis nominis Christiani nuper recruduisse: quæ utinam dissensiones tantum ipsæ non etiam discessiones sanctæ ciuitatis fuissent, & tanquam abscessus quidam fœdi in corpore spôsæ Domini. Opprimi autem aut sedari vt olim, sic hoc tempore, potuerunt, non magis exercendis legibus, pœnarumque atrocitate, quàm vitæ & exemplorum æmula seueritate. At nunc eò deformitatis licentia erupit in nauicularia Christi summi exercitoris: vectores vt hortamenta floccifaciant in puppi circæque sedentium: quandò ij qui ad gubernacula summa admoti sunt, quique propius inde absunt, obdormiscere somnum visi sunt socordiæ, diurnum iuxta atque nocturnum, nec minus nubilo quàm sereno. id quod ipsis omnino contigisse oportet obreptione funesti Mercurii, aurea (vt est apud Homerum) virga homines improvidos exitialiter consopientis. Pars etiam vectorum non contemnenda, delicias grauari magistrorum nauarchique supinè iacentium (vt quidem speciosè satis isti plausibilitèrque, si minus verè, vociferantur) in nauigia se coniecerunt alia atque alia, derelicta & contempta summorum auspiciorum naui, sibi met ipsi velificantes. Quasi verò Iesus vnus ipse nauclerus (si ad verum loqui velimus) prætoriam nauem egressus, per mare iam medium huc illucque perambulet, quocunque inuocetur gentium subinde se conferens cum sua nauicula. Haud ita pridem homines quosdam ingeniosos, elegantiorè que in modum eruditos, pudere cœpit (vt videtur) *μυτροδιδάκτους* aut esse aut videri. qui quanquam consilii sui causas, sanè quàm speciosas, in medium attulerunt (quarum illis copiam, hominum literas bonas linguasque ignorantium improbitas largita est: quippe iure atque iniuria quædam inueterata tueri, eadè que ridicula, auctoritate sola, famæque elogio obstinantium: id quod nullis fidiculis

exprimi potest ab intelligentibus) quāquam igitur illi vt scita acroamata, plausu primū multorum excepti sunt, tamen obliuisci non debemus, parentem illam nostram, tum innumerabili, tum beatissima prole fœcundam, eoque nomine sponso suo dilectam & commendatam, salutarem methodum, non ipsam à semetipsa, non ab humano magisterio, sed diuinitus edoctā esse. Verū *ἡ ἀρχὴ καὶ τέλος* fortasse videbimur: cū vtrique apud sese parentis esse domicilium certum contendant, & alteri apud alteros simulachrū esse tantū sponsæ dominicę pari fiducia dictitent, nō item pari equitatis specie: & quidem vtrunque non studio partium fortasse minus, quā charitate certatur reponendę in artus suos disciplinę prolapsę. Est etiam vnus in partibus id incommodum, quod homines quidam existimatione freti longo vsu quęsita, titulōque inani, magis quā solido iure parta: omnia Dei ac pietatis Christianę causa facere se aut simulant, aut parum potius perhibentes persuasibiliter, ius oraculorum interpretandi solis sibi vendicant. cū interim alteri magnę matris sacra, putidis verbis eleuent: ceremonias, annis melioribus consecratas rideant: ritus etiam vetustissimos: ordinū discrimen obterāt ac despuant: hymnodias lerodias esse censeant: psalmodias pro rhapsodiis habeant, vt quidē est opinio multitudinis occupatę incōsulto pręiudicio, in vtrisque partibus. His porrō qui auscultare cupidius institerunt, plurimi quidem certē, eorūque imperitissimi, atque idē deterrimi, nec doctorum hominum sententię sensūsque intelligentes, primū suis legibus viuere, deinde nullis cœperunt: quę duo non magnopere differunt. Deo certē nunc vota, vt si vnquam aliās facienda sunt, si rempublicam in meliorem statum saniorēque verterit. nam quid futurum esse dicas, cū spretis centuriis pręrogatiuis, primarūque clāssium, cēturię fabrū, sutorum, cerdonūque in suffragia cōcant de constituenda orthodoxia, apud nos quidem certē, cū eō licentię ventum esse videas, Theologi vt passim agminatimque prodeant è schola Lucretiana & Epicureorum? Tam dira autem fuit quorundam illiteratorum sceleratis in opinionibus pertinacia, vt velut pyraustę vltro ignem appetere non dubitauerint, nimirum dira vanitate elati & perciti, in numerum vt diuorum referrentur à suis factiosis: nec in eo falsi sunt post fatum detestandum. Ita in dies inualescens errorū proluuies indignis auctoribus & sæpe obscurissimis, veluti diluuium quoddam est priscę religionis, omneis ferē partes inundans Christiani nominis, discrimēque paulatim obruens pietatis atque impietatis. Qui igitur

d. ij.

diluuii huiuscemodi periculum metuunt, in arcam vt tandem redeant necesse est: siquidem eius compages eorum opinione dissoluta, rite reconcinnata fuerit. Atqui ciuitatis Dei & Ecclesie, quam Christus appellatione benigna sponsæ suæ, quasi pacte diuinitus, dignatus est: sic constituta mihi videtur esse societas, idemque sentiendi necessitas: vt singuli paucique facile desipere, atque à regula aberrare salutariter non nequeant: vniuersi vt non viam tenere premonstratam à Domino, atque in commune sapere non possint, quasque consipere. Quod tamen ita demum intelligendum dico, si illi quidem è conuentu paracletico, à gregèque dominico, superbè subducere semetipsos aut abripere obstinauerint: eorum taurorum non absimiles, quos Aristoteles ἀνιμαγεῖντας vocat, quasi sui abgregatores, in ordinemque armenti sese cogere indignantes: hi autem indictis rectè atque ordine conuentibus sacrosantis, tum charitate Christi in publicum æmulante (quod quasi condimentum est eorum quæ concilia vocantur) in vnum conspirare, atque in numinis diuini sententiam transire parati sint. In huiusmodi autem casibus, ac rebus propè perditis aut turbulentissimis, illustres ætates Christianismi, solenne id remedium instituerunt, quod iandiu ac nequicquam flagitare se illi vociferantur. Verum (vt est Aij loquentis proteruitas) rei longè saluberrimæ, quondamque vsitatae sæculis melioribus, appellationem tantum inanem, quasque reliquias quasdam ac cines emortui instituti præclarissimi, ad nostram memoriam asseruatæ esse, plurimi nunc cauillantur. colorem enim iandiu quæsitum esse indicti senatus sacrosancti in ædem concordie ac pacis euangelicæ: specièmq; consultorum ac ludibria religionis. senatus verò ipsa consulta nec succum nec sanguinem pietatis illius heroicæ nec spiritum habere, nec verò charitatem præ se ferre probam, strenuam, æmulatione flagrantem constituendi Christianismi, eiusque maiestatis. Zelum scriptura Græca voce appellat, quo significari antiquitas voluit feruorem animi commoti vice publica, stimulumque mentis in communem causam æmulæ. Multa huiuscemodi aliæque non meliora, quæ commemoranda non duxi, ex hominum sermone collecta, ad inuidiam inflammandam non parum valuerunt, fatali quadam inclinatione rerum. quam rerum nouandarum materiam, oblatam potius quàm quæsitam (nisi fallor, vt sunt rerum humanarum conuerfiones) naçti homines primum pauci cum minimè meticulosi, tum acumine præstantissimi, multa quidem illi arguta atque etiam scita, vendibiliter: nonnulla

sanè commoda illa quidem, sed non perinde commendabiliter: ceterum aut sensim aut repentè plures facti, incommodè quædam exemploque non probabili, in scenam protulerunt, multitudine circumfusam nouarum rerum cupida, ad licentiàmque propensa, religione vacuam. paulatimque quorundam confidentia id tentatum est, ut patrum decreta antiquissima, scriptorum etiam auctoritas & monumenta, consensu tot ætatum rata & comprobata, pro nihilo ducerentur, ut iure subnixa translatitio. Neque verò sese aut quenquam liberi spiritus hominem teneri iam defendunt nebulunculi quidam illiterati, non modò responsis prudentum iuris diuini, secundum quæ iura primùm pontificia & canonica temperata sunt: quibus iuris dictio constat, olim ad normam & bona fide exacta: sed ne insignitis quidem atque nobilissimis, & maiorum (ut dicitur) gentium senatus consultis, iussisque eorum & interdictis, tametsi antè semper pro numinibus habitis. Ex quo euénit, ut vulgus licentiæ effrenatæ, quasi equitium quoddam vinculis abruptis lasciuiens, legum sese metu solutum esse existimarit: legesque diuini cultus, arbitrato suo condere sibi suisque non dubitarit. Audiamus si vacat, paulisper Cyprianum, cum doctum & vetustum auctorem, tum sanctitate clarum, tum pietatis vadium monio capitali ad extremum probatum & consecratum. Qui de manibus (inquit) conciliorum gubernacula extorquent, ecclesiasticæ salutis nauem in scopulos illidunt. Quid autem indignius ac fœdus in Christianis gentibus, & in ipsa ciuitate Dei esse potest, quàm leges antiquas populari licentia abrogari: vnúmque quemque sibi vel populum vel tribum, vel ciuem perditissimum priuilegium ferre, trinundinóque promulgare? Quòd si ex euentu iudicium faciendum est, grátumne id Deo fuerit tanta populi atque ordinum consternatione res nouare, lucem etiam caligini publicæ longo interuallo referre: sit quidem hoc sanè per me, quod & permultis visum est, eorum quoque qui in partes non descendunt. Sed & Phaëthon quondam sursum deorsum lucem circumferendo, quam in fraudem inciderit de cælo tactus. Verùm ohe, iam fatis est, forsan dicet aliquis: & memini quid superius testatus sim. tantùm hoc addiderim, rem mea quidem sententia non sine numine quòdam prouidentia cœptam & agitatam esse, qui euentus cunque rei futurus est ancipitis, quæ omnino diuinam manum poscit. Iam autem in articulo arcendi incendij aut summo, aut præcipiti, aut proxime quidem cum sumus, in quo cessandi locus nullus

d. iij.

est, ne Vcalegontibus quidem: nisi veterno magis quàm somno oppressi sumus, quod ominari nolim. Nam quis tam hebes est, vt non videat incendii iam gliscentis, ac nisi obuiam eatur, longè latèque populaturi, quâ pios, quâ impios, præpetes aues (vt est in prouerbio) & prænuncios esse, cultus diuini opiniones idetidem euariantes pro libidine cuiusque etiam indoctissimi (quod inuidiam sanè inflâmat incepti facinoris) aliàs futuri fortasse controuerfi apud homines ingenio doctrinâque præditos? Scilicet hoc illud est ore veritatis ipsius pronunciatum. Ita fert humanarum rerum conditio, mundi que præpostera ac turbulenta ratio, reliquæ vtique noxiæ primordialis: vita vt carere nequeat huiusmodi euentis, pericula creantibus multitudinis animis: Scandala à scriptura vocantur: negotia sæpe facessentia hominibus quoque circumspectis, rerumque existimatoribus non quibusslibet. Necessè est enim vt eueniât offensæ, causæque offensionum. At verò id oraculum væ particula consequitur è vestigio, quæ omnibus formidolosa debet esse, atque etiam horrenda. Væ (inquit Dominus) illis vnde offensiones exoriuntur. Animaduertant igitur etiâ etiâque ii ad quos res pertinere potest. Nam quis mortalium hodierno tempore nosse satis videtur & agnoscere, quid sui sit muneris & officii in familia Domini? Verùm quod ad rem nuper designatam attinet, quis eorum qui rebus nouis cœptandis mūdum circumegerunt, discrimen peruidere potuit fiduciæ atque cōfidentiæ? Quis cū innumeram hominum multitudinem tanta religione alligauerit, solutum habere animum potest? qui quidem certè mentem torpentem non habeat ad religionis pulsus identidem incessentes animis, in re tam præcipiti suscipienda, tandiūque perferēda? Ecquisnam verò tenebrarum lucisque confinia sic certò tenet, vt disceptator harumce rerum sedere sine pauore atque horrore queat, in iudiciōque lubrico & abrupto? Quod vtinam eorum qui cardines tanti cœpti hætenus versauerunt, quod multi commoliri certatim conati sunt, non aliquando ea mens fuerit, vt oculis auribúque seruirent populi ac procerum, ad res huiuscemodi excipiendas paulo appositiorum: nec verò decus ipsi quoddam opimum sperauerint, et affectarint, existimatione primū tentanda & obtrectāda ordinis cōsecrati, clauóq; regēdo Christianismi præfecti: deinde succedēte supra votū (vt opinor) conatu, prosternēda etiam & affligēda tot ætatū taliūque prudentia: tū autē eleuanda & cauillanda senatusconsultorum veterū auctoritate, pro numine quodam paracletico semper habita. cuius senatus patres cōscriptos cœlitū numerum

diuorúmque auxisse, veri est simillimum, tum ob vitæ castimoniã, tum ob doctrinæ sanctimoniam. Omitto probrosè vexatos, ac per ora multitudinis traductos, coryphæos ordinis sacricolarum, scriptis contumeliosissimis. Mitto nomen orthodoxiæ, multorum stilis confossum, & maledictis penè contrucidatum. Hæc autem sine luculento atque insigni vulnere ac dedecore Christianismi, fieri nō potuerunt, ac sine conspicuo intertrimento rerum diuinarum fidei, disciplinæque euangelicæ. Cuius rei non iam argumentum est, sed certissimum documentum, flagitiosa vita plurimorum, eius dogmatis in summam assertorum. Cuius nominis tegmento, quasque patrocínio, licere sibi putāt homines perditī & scelerati, quicquid collibuerit, non quicquid auctores sunt homines docti: vnde ius nihilominus impunitatis & licentiæ sumunt, hominum opinione duntaxat, qui inuidiosi dogmatis præiudicio ducuntur, quæ multo maxima pars est. Qua in re existimanda, etsi æquis vtuntur apud nostros homines auctores ipsi architectique dogmatis, viris doctis atque grauibz non paucissimis: culpam tamē deprecari inuidiãque non possunt, ne iis quidem quæ ingeniosè ab ipsis & commodè disputata sunt. Fuit olim & sæculis iam multis solenne doctæ aut ingeniosæ dicacitati, in officinam sacerdotum declamitare, vt canonicæ disciplinæ cauponatricem, vt vtat verbo prisco: in ordinem verò sacris dedicatum, eoque nomine sacrosanctum inuehi, tanquã in foro cupiditatis magis, quàm in atrio Domini negotiantem: nundinantem vnà cum pontificatibus atque antistitiis vacationes atque immunitates sacrarum functionum, veniãque inertie. nam & eius ordinis mancipēs, institorēsque constrinæ maiorum ac minorum auspiciōrum, reprehendere videtur Apostolus in Epistola posteriore ad Corinthios, vt verbo eius vtat, τὸν λόγον τῆς θεῆς καπηλεύοντας. At verò præsidium castrorum Christi, exercituū Domini, ex arcibus regni eius cum præfectis ipsis eiecisse, præfecturāsque ipsas vno verbo abrogauisse, exempli est absurdi, à taxiarchiæque dignitate ac decore vehementer abhorrentis & alieni: sine qua mundus in ἀκοσμία vertens, nomen suum obtinere iam non potest. Neque verò minus est illud vitæ dedecus (vt nihil de impietate dicam) quòd sacros profanosque homines eodem habent numero locoque: & rerum hominumque discrimina in lapide (quod dicitur) albo, alba amissi notant. Næ id est, vt alia omittam, non modò ad viuum (vt est in prouerbio) scalprum: sed etiam vltra omnis penè memorię scammata, stylum adigere confidentiæ. Quòd si ij qui cœli luminaria

d. iiij.

stellasque cum detrudere non possent, nec extinguere, obscurauisse quodam modo eadem existimati sunt, non sine luculentis indiciis & argumentis: taménne Euangelii lumen retulisse vitæ tanto intervallo dicentur eandem ipsam ob causam, ingenia huius ætatis? Id enim secundarum partium telæ, tertiarumque textores, memoriæ prodere non veriti sunt. Horum autem in sententiam si publica transire prudentia passim institueret, quid causæ iam esset in posterum quo minus nihil tam consultum, agitur, disceptatū esset, nihil sic semel definitum ac constitutum, quin denuo mox & ab integro reuocari in disceptationem, ad populique disquisitionem posset, simul ut cuilibet audaciori controuersum id facere visum esset? ita Christianismi cardines, non senatusconsultis auspiciis coacti, locisque constitutis, atque augurio cœlesti consecratis, ut moris est antiquissimi: sed ex opinione cuiusque verterentur, rerum compositarum retractatoris, temeraria manu factiosaque conflata. Sed enim non is sum ego: non ea res est, cuius rei litem meam facere consultò & meditatò instituerim: etiam si non inuitus feci, testatū ut relinquerem, quantum vicem publicam dolerem Christiani nominis: simul hominum ipsorum sanè doctorum & memorabilium alioqui, mea quidem sententia, & permultorum iudicio doctrinæque præstantium: tum autem literarum bonarum malè & incommodè ea de re audientium. Quid verò rursus, quid (inquam) si (ut sunt consilia prouidentiae tam admirabilia, quàm mortalibus occulta) hoc motu, hac rerum nouarum molitione Deus optimus ac maximus parturit constitutionem Christianismi, reconcinnationemque antiquæ disciplinæ? Quid si maiestatem euangelii, fideique verbi læsam & imminutam ultum ire statuit: extinctamque charitatem aut perfriktionem exanimatam? Denique, quid si non aliam censuræ fata salubris inuenere viam? tantique æterna pararit regna Deus Christo? Loquar enim hîc quoque per parodiam, quando mihi obuiam non importunè occurrit. magno certè & hominum & animarum numero adhuc constitit hoc argumentum, stetitque non sine plausu aliquantis per ab omni parte theatri: nunc autem admurmuratione aduersa, maxima quidem ex parte, ob scelera factionum. Ad quorum autem actum eius peruenerimus, quis ausit aut possit affirmare? sperandum tamén à catastrophe proximè rem abesse: quæ utinam palinodiam plus habeat, quàm tragœdiæ. quam in partem profectò necesse est animos ut inclinent ij, qui in scenam proferre primùm argumentum ipsum instituerunt,

si plausoris egent aulæa manentis, & vsque fessuri donec præco, vos
 plaudite, dicat. Excitandus autem publicè priuatimque Iesus est, vt
 ventis huiuscemodi tempestates cientibus, marique imperitet, incre-
 pitis & cohibitis, sicque tràquillitas redeat. Peruelim autè, in naui
 tantum vt ipse sua Christus somniculose obdormierit, non etiam
 sopore vehemèti obliuionis nostri captus sit: & (quod ominari no-
 lim) fides semianimis in vniuersum & veteriosa expergisci sine in-
 signi noxa nequeat. Sed cum res ferè nulla (vt credimus) tã plenum
 ius postliminii, tamque iustū habeat, quàm venia diuina, (id enim
 subsidiū humanitati identidem aberranti Seruator ipse dedit) orāda
 nobis erit exposcendaque pax superum, nunquam non exorabilis
 suppliciter pœnam imminemtem deprecantibus. Quod mox for-
 tasse futurum est, si ex vtrisque statiuis homines strenuissimi, paca-
 tisque consiliis affines, in suffragium mittantur ad dirimendas fini-
 endasque semel controuersias. Verum enimvero vt ad philosophiã
 redeamus à nobis institutam, quam ego philotheoriam facile
 appellauerim, homini qui ad id studium se comparauit, omneisque
 suas facultates ingenii contulit, id omni ope faciendum esse censeo,
 quod infrà dicturus sum. Nam cum vita philotheori militia quæ-
 dam sit intestina, angustis impeditis interdum, trepidisque consiliis
 obnoxia: præsidia ipsum multa insignium oraculorum, elogiorum-
 que diuinorum subsidia, simul virtutum exemplarium auxilia ha-
 bere conquisita oportet, memoriæque mandata. Ex iis autem a-
 ciem quandam instruere firmam & explicatam, quæ semper sit in
 procinctu & parata aduersus impetus cupiditatis, ambitionis, & vo-
 luptatis, identidem animo incessentiū, aduersus præstigias demonis,
 oculis incurrentes hominum: aduersus theatrum vitæ ciuilis, vrba-
 næque frequentia, illecebris permultis iisdemque validis infestum:
 tum aduersus rerum aduersarū fortunæque acerbitatem: nec minus
 aduersus hominum iniquitatem, maleuolentiam, atque maleficia,
 fodicantia sæpenūmero patientiam, animūque vrentia: & verò ni-
 hilo secius aduersus secundarū petulantia, quæ mea quidē sententia,
 maiorē animaduersionē exigunt, atque vigilantiam. Hæc enim sunt
 arma, hæc tela, hæc machinæ Stygii grassatoris in dolo tergemini: qui-
 bus haud temerè euenit ipsis, vt paria sint aut philosophiæ placita,
 aut rationis monita, quanuis cōsultæ, meditatæ & cōfirmatæ: aut pru-
 dentia humanæ cōsilia, quālibet cordatæ, atque exercitatione cōdoce
 factæ. Contra quæ tela, sanè infesta & vulnifica, & necopinatō feri-
 entia, eoque altius sauciātia, oculos etiā plerūque splendore inani vi-

tréoque præstringentia: prisca rerum diuinarum prudentia propugnaculū positum semper habuit, & præsidium tutum in fide & spōsione Christianismi. Quo mirū est magis, & simul sanè dirum, quòd rerum diuinitus promissarum ætate hac nostra fides, emortuæ similis est. Quæ utinam ipsa singulis in nobis tantum sit intermortua. nam emori fides vniuersim non potest, quæ à spiritu diuino in Ecclesia semel animata est. Certè præ ut est insana cupiditas bonorum possessionis temporariæ, aut nulla, aut exilis est euanidæque fiducia in plerisque mortalibus æternorum bonorum. alterutra enim earum alteri concedat necesse est, cum vnà omnino eodem in homine satis esse nequeant, si quidem Pythagoræ cælesti auscultare velimus & fidem accommodare. Quocirca qui quæredis & persequendis vtrisque bonis studere instituerunt pari animi contentione, ludere ii operam suam vtrobique inceptant, qui philotheoriā cum philotimia copulant, qui philochristi simul esse & philochrysi meditātur: ii si qui sunt, riualia studia inter se, absurdè atque irritò labore cōciliare conantur, geniis rerum ipsarum repugnantibus. Si duobus dominis seruire simul idem non potest, quod elogio veritatis testificanti non dubiè credendum est: quo tandem modo regno simul & tyrannidi? Quomodo autem regnum Dei eodem in pectore, tyrannisque avaritiæ, ambitus, & voluptatis hærebit, cæterorūque affectuum in anima grassantium? statuit enim Plato in nono Reipublice, virum bonum & sapientem, intestinum intra sese regnum: malum & insipientem, tyrannidem eodem modo habere. à quo non absolum est, quod Seruator ipse euangelicè prodidit & mirificè, regnum Dei iatus in hominibus esse, quod de sanctis viris intelligendum Origenes censuit in tractatu de principijs. Itaque qui auream illam vitam viuere concupierint, quales sunt theoricæ philosophiæ studiosi, ii argenteæ vitæ salutem semel ut dicant necesse est, idque fide optima. Sed deprauatus sensus hominum, magisteriōque sinistro communis prudentiæ imbutus, cum cupiditati agglutinator est atque avaritiæ, cum ambitum ut beneficium ac largitorē honorū, ut fortunatorem hominū cōsecrari institit, intelligere iam inde & perspicere nequit, illā se ut rubi fascem aculeatū amplecti, strictūque retinere. hūc ut vtriculū distentū atque inanem cōprehendere: in quæ suæ spei summam, thesaurūque cōiecit aueris supra modū animi, & cupiditate perdit. Atqui huiusmodi placita sapiētiae ius gentiū prodidit: quod ciuile mox excipiens, eadem ipsa excoluit: tum plebs populūque magno studio sciuit: senatus auctor est factus: equestris ordo pedibus,

equis, velis in eam sententiam transiit & incubuit. tempore autem suo ac prouidentiae placito, Seruator mundi extitit, qui generi humano ea tyrannide oppresso, nuncium plaudendum & laureatum attulit: legesque euangelica promulgata, & simul abrogato principi mundi eiusque tyrannidi imperio, nouis verò tabulis edictis & prolati, regnū Dei esse iussit & sanxit in posterū: legesque ipsi regno consentaneas, & instituta dedit. Iam verò sacramento nouo & inaudito, omnes regni indigenas, incolas, aduenasque adigi, atque in verba sua iurare instituit: fidem porrò certissimam sibi dare, ab eoque vicissim accipere. Ab eo igitur cū sacrarium veritatis mundo relictum esse sciamus & prædicemus: cū aditum sapientiae antea clausum, figurarūque & ænigmatum densissima septum obscuritate, patefactum eodem tempore & illustratum esse norimus, fateamur, & dicitemus: adhuc tamen hæremus in luto antiquae sapientiae, pedesque lotos in fonte purifico, & expeditos, rursus contaminamus aquis spurcis, tricisque implicamus. Qui si è puteis scripturae haurire aggredieremur, ipsosque puteos alius commentando, aliusque fodere, quibus quidem certè nostrum id facere promptum est: ipsa quæ nunc esse prudentia plebi, senatui, equitibusque videtur, illa (inquā) ipsa sæculi sapientia, non dubiè amentia & insania, nedum stultitia iudicaretur, summarūque rerum inscientia. Nunc quousquisque vel peritorum atque literatorū, in manibusque monumenta sacrosancta assiduè habentium, ea etiam sæpenumero è suggestu enarrantium, non suauius aquas illas turbidas & populares gustat, in cratere ciuili sapientiae resides ac stagnantes, si modò cyathos treis è siphunculis ambitus aut cupiditatis hauserit, quam viuam illam aquam libat, è philotheoriae iugis scātentem atque salientibus? Proh dii iā immortales, quid est, si hæc demētia, si amentia, si væcordia non est? præstigiæ sunt hæc certè Stygii illius fidei nostræ attentatoris: qui dolis miris, diris, cæcis, ductare suos nouit fortunæque alumnos, quos epulis illis semel perinescauit, è medio atque etiam è transfenna petitis, in eorum necem intēta & concinnata: tum potione supradicta, mellita magis ipsa, & oblita subdole, quàm suoapte sapore natiuōque suaui, tyrannidi sensuum, sibi que auctorauit. nisi verò suaue reuera esse potest, quod amarulentia curarum permolestarum permixtum est, angorumque perennium. Fidem igitur aut emortuam, aut exanimi proximam eorum esse oportet, qui in tam manifesto rerum discrimine, longè deteriora eligūt, in eisque studium omne suum, animique intentionem consumunt.

At quotam partem nostrum eximere huic culpæ, atque etiam diræ noxiæ hallucinationis possumus: si quidem ad limatum examen & iudicium expendere ista volumus? Hic mihi in mentem venit regis cuiusdā Ægypti, Psammetichus (vt opinor) is fuit, qui vt Athēnæus quodam loco retulit, cū scrutari arenas Libyæ statuisset: iuuenes aliquot adipfīa, quam vocant, exercuit, qui aridis in locis sine noxa possent carere potione, & sitim non sentire. Hunc in modum qui in solitudine philosophiæ sapientiam quærere & inuestigare statuerunt, eos nihil sitire præter nectaream illam aquam oportet, quæ operantibus in vinea dominica plærunque funditur diuinitus: ad cætera verò omnia eosdem adipfōs esse, in omnium rerum inopia, fide, spe, & charitate se tolerare. In ea autem vinea regnum illud Dei esse traditum est à prudentibus, ac iuris diuini consultissimis: in quo regno nos oportet consopitam fidem Christianismi iacentemque excitare & erigere. Huius porrò duo extāt hodie monumenta & documenta integra atque incolumia, perpetuòque exstabunt, quippe cedrinis in tabulis incisa: quæ cū ipsæ cariem nullam sentiunt, tum Libani fragrantiam magnopere referunt, naribus quidem ad ea non hebetibus quæ mysticè odorata sunt: & verò ad vnguentum illud imprimis æstimatum à vera philosophia, in caput olim ac pedes Christi Seruatoris effusum. Illis porrò in ipsis tabulis ac monumentis actorum prouidentia, certa fides, explorata spes, gestiens expectatio liberalium emeritorum, atque congiarii beatitatis à Christo pronunciati, cæli & terræ & vniuersi potenti: iacent illæ quidem in præsentī ob stuporem hominum, sed tamen semianimes iacent, exuscitarique facillè & publicè & priuatim poterunt, ab illo exuscitandi exanimatorum auctore, quanuis etiam & quādiuuis emortuorum. Redeat tantū animus mundi ad sese in vniuersum: sin minus, redeat saltem animus hominum, philosophiæ fide bona studentium. tum rerum caducarum ille naturam rationis rectæ ponderibus expendat, non etiam sensuū vanissimis lancibus, mendosissimòque examine. Tum demum autem id futurum est, cū Deus optimus & maximus, qui sese non pridem animaduersorem neglectæ religionis acrem & lynceum exhibuit, minacemque nunc patrum vt videtur, ostendit: emendatorem parentemque præstare iis statuerit, quos filius eius Iesus fratrum appellatione commissura dignatus est. At verò nunc in eo sumus ferè, prudentia vt communis suis magis copiis fidere, acquiescereque in rebus præsentibus, quàm diuinis promissis, futurisque bonis confidere videamur.

tur. Qui diffidit autem Christo, superiorum, inferiorum, mediorumque potēti, vnicōque Domino, fidelis ille esse, aut videri quī potest? & qui fidelis non est Domino, quē nihil latēre potest, ab eodem ipso miser quidnam sperare audeat? Huiusmodi igitur homini quonā tandem pacto cōstabit expectationis suæ summa? siquidem fidem habet ipse stabilē immortalitatis animæ. Verum monumenta iam dicta cōditi Christianismi, fideique (vt ita dicā) rerum diuinarū & immortalitatis iactæ in terrā nouatam, disciplināque salutari cultam, duo sunt testamenta Dei, utrūque summæ auctoritatis, & verò dubitationem omnem eximentis attentē cōmentantibus, assensusque cunctationē. atq; his tanquā duobus adminiculis adiutus philosophicus animus, rerum interiturarum contemptione imbutus, admirationēque æternarum, erigere sese sublimem potest. Cælum etiam primū suspicere tertiumque, tum eò paulatim viam inire à Seruatore sectam primo, vnōque, paritēq; munitā. Hanc igitur materiam obiectā habet theoriæ cōmentatio, sanē quā copiosam & inexhaustā, dignissimūq; vnum hoc omnium studiorū, in quo veteris hominis exuta senectute philosophus, quasi adolescere denuò incipiat, maioribusq; longē pomceriis finem & extremū curarum, vigiliarum, laborūq; suorū circumscribere. siquidem oracularia scripta, intelligentia mirabili, recōditisque sensibus excauriunt, cōmentantis animi sitim semper intendentibus, & simul suauitatem hauriendi liquidissimas imagines cælestium rerum & visendarū, quæ intellectu percipi tātū possunt. tum restibili fœcunditate fœta cōmentatio, alios atque alios intellectus parit, omnēsque veraces, & solidos, sublimēq; rapientes, & in his quidem ipsis (vt dicā quod animo concipio) tanquā veritatis sanctariis, Themidis illius cælestis (quod diximus alibi) quoddam est oraculum, quā consiliariam Græci sua voce cognominarunt, quasi præsidem, potentēq; consiliorum homini salutarium. Ad hoc igitur oraculum supplices ac venerabūdi, magnāq; adire cum religione debemus, atque animaduersione extatica, si studiosi sumus. Nam si hac vtēmur antistite salutis & cōsultrice, si eius responsa & cōsilia memoria complectemur, sinūque feruido fouebimus: haud dubiè antidota hinc referemus aduersus illas escas, exitialibus illicitis oblitas animarum aucupis, voluptatē, ambitum, cupiditatem, rerū secundarum festiuitatem: suspectam semper ipsam viris olim prudentissimis, iurisque diuini peritissimis. Verum homini studioso, qui quidem salutis auspiciis philosophiæ scholam ineundā duxerit: Themide auctore intra luminosam porticum orthodoxiæ philosophandum,

c. j.

rerum illam multarum, magnarū, mirabilium capacissimā, ac supra humanæ mentis fastigium sublimium: hancque porticū philosophiæ egredi non debet, ut quidem diutulè immoretur, is qui euthymiam, quam vocāt, indagare omnibus vestigiis, assequique concupierit, ut pignus summi boni, cuius ipsius umbrā tantū fallacemque imaginem, prisca philosophia summopere admirata est. Hoc qui facere efficaciter, appositè, constanter, ac consultè instituerit: nimirū ipse inter diuorum iam & mortalium conditionem, mediam quandam vitam sublimemque, quasi semideorum egerit, quippe qui ad summi boni fructum æternum spem suam erigere, ad cælum cælorū intentionem cōtemplationemque possit: quæ merces est emeritorū Dei militum, & appetendi terminus, ut inquit Augustinus in libro de cognitione veræ vitæ. Huic porro securitatem illam, tranquillitatemque philosophiæ consecretanti, in Ægyptum non longius quàm res poscit expatiandum, ut Gregorius inquit, cognomento theologus: nec in Assyriam curiosius peregrinandum. procul etiam inde abeundū, solitudinemque versus migrādum bidui aut tridui: si quidem priuata hominis cuiusque ratio non grauetur hoc admittere. quippe in regionibus illis maximè, tyrannus ille tartariæ sedis præses, excursus multos & peruigiles, animarūque sicarios habet, intentos & imminenteis ad omnem occasionem disturbandi fani dominici, atque depeculandi. Neque verò ideo labascere eorū oportet fiduciam, qui intra præsidia sanctioris philosophiæ se abdiderunt, quod intra septa quoque eiusdem sæpe cientur tumultus. Etenim sacrosanctus esse nemo potest in militia vitæ, antequam missionem adeptus est: nec petitam illam adeptus est, sed oblatam diuinitus, emeritam iuxta & causariam. & asylum nullum sanctum est aut clausum cæcis illis prædonibus & sicariis. Quando ne Paulus quidē ille athleta lectissimus, multarūque palmarum pugil & insignium, impetrare rudem huius molestiæ potuit, sæpenumero incessentis ministerio suo fungenti: cum interim id iterum tertiumque suppliciter ipse flagitasset à Christo, indulgentissimo quidem illo Domino, sed tamen quasi lanista delectorū suorum, quanquā apud herum ipsum gratia summa ut mancipium scitum & eximium, singularique flagrabat. cæterum immunitatis instar fuit homini sanctissimo, extra aleam esse præcipitem, intra præsidium posito tutelæ dominicæ. ad eod locum nullus inaccessus est proserpentibus illis noxis, nemoque prudens in vacatione supina debet acquiescere petitionum cæcarum diri gladiatoris, infesti semper aut imminentiis mortalium securitati. Ita sua est philosophiæ quoque

palæstra, obeunda illa quidē nec opinato sæpe, iccircoque non sine trepidatione & velut in tumultu. Sed quanti interesse censes, ex tuo ipse propugnaculo è philosophiæ castello, ex arce antè munita, hostem iam magnam partem exarmatum propulses: an in locū equum, imò verò in arenam aduersarij descēdas: tutēque pedibus vix insistēs, equitem (vt aiunt) prælio laceſſas campeſtri in planitie? Et vt pugiles olim campeſtres certo quodam victu atque necessario vti solebant, ad corroborandos & confirmādos lacertos: sic philosophicum victū accommodatum eſſe oportet ad alendam vim animi, virtutēque vegetādam: *ἐκλεγεῖται* Græci vocāt: cuius etiam ipsius alumnæ sunt insignes virtutes & præcipuæ. Iam verò qui sublimes illas sententias tropósque oraculorum, haurire cōmentando, & concoquere ad sanitatem animæ velit, ex iisque firmam persuasionem concipere doctrinæ seruatoriæ, & fixam opinionem rerū sempiternarum: is vtiq; stomacho vt seruiat sapientiæ necesse est, plurimūque indulgeat. non etiam vt scenæ, popularique plausui: non primorum ordinum secundorūque palato: non denique iudicio communis prudentiæ, quibus rebus vrbana celebritas, conuentūsque atriensis finguntur, temperantur, reguntur. hæc enim naturarum consensum inter se nullum habent, quam sympathiam Græci vocant. Nisi verò credere possumus florida illa morū sermonisque pigmenta, quibus homines vrbانيتati studentes, disciplinæque atriēsi, theatro (vt dicitur) & scenæ ingenium Roscianū, & comitatem venditant, fucatā atque inanem, ad stomachum facere theoricæ philosophiæ, quæ veritate tantū gaudet, & candida simplicitate. quippe quæ diuinū verbum pro epulis animi opiparis & suauibus deuorās, dente prius intellectus mystici commanducatum, ineptias illas ostentatrices despuat vt fatuas, ad imposturam spectantes, exitialemq; ludificationem: quæ duæ res cum fraterna charitate, ciuilique societate & legitima dissident. Scenica verò ista studia atque histrionica, ciuilis sunt prudentiæ eiūsque alumnorū, simul omnium quos iuuat & ipsos subdolæ mentis tectoriis, interdūque sceleratæ, fucum Deo (vt ipsi putant) atque hominibus facere. quippe qui vrbانيتate ac lepōre ad fraudulentam simulationem attemperato gaudeant, verborūque lenocinio asseruienti: & verò comitate populari, obuio cuique exposita, atque aucupe gratiæ, cum obsequiosa quidem illa, sed ludificatrix deditioe sui: denique cis aras, trans aras, atque per aras parasitica assensione, cum interesse suā putant: quo vno ipsi termino ius, bonum, æquum, honestum, definiendum censent.

e. ij.

His videas in ipsis, si obseruare vacet, versicolores vultus & chameleonteam pro re nata extemporalēque mutationem, vt inquit Aristoteles. Stomatica autē sunt ista scilicet adiumenta vanitatis, conciliantia gratiam vrbauitatis: ori vtique fingendo & concinnando, non item stomacho salubriter afficiendo, præcordiisq; morbidis sanandis accommodata. Sed enim Deus (ô vanitas humana stoliditate prædita) Deus (inquam) dignoscere cautus est, quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ. is spectator est, is explorator, is existimator mentiū, & pertetator. Verū qui huiuscemodi nugis sensus habent perimbutos: vix est aureis illi vt pronas habere postea possint, vacantesq; ad auscultationē differentis sapientiæ & veritatis. Talēsque sunt ij fortasse, quos Christus, id est veritas ipsa diuina, nō leuiter cōpellans, à concionibus suis modo quodā summouit, cū inter sermocinandum sæpenumero exaudibili voce dixit, Qui habet aures ad audiendū, audiat. ad aures enim tātū acroamaticas auscultationisq; mystagogicæ, audientiā sibi fecit, cōstantēque & æternam attentionem æternus sermo Dei, qui etiam sapientia est germana & sempiterna: idem salutis auctor architectūsq; mortaliū. Minimè verò ad eorum aureis hominum suauē atque penetrabilem suadæ cælestis aculeū pertinere voluit, qui in diem viuētes, tēporarios fructus bonorum atq; honorū consecantur, voluptariarūq; rerū. Tamen si quibus auscultare sacrosanctę philosophiæ cōtigit, emēdatæ vitę innocentisq; magistræ: quanti tādē æstimandū est ad vitam sine anxietate, sine tabifica ægritudine animi traducendā, quod sperare illis licet, vel spe potius certa vsuuenit antecapere, ac sibi metipsis repræsentare, immortalitatis cōditionē cumulātā veris bonis, rebūsq; omnibus exaggeratā in primis expectēdis? Seponamus quęso nobis quoti die, seponamus (inquā) momentū tēpusculi succisiui, vel semūciam tantū horæ carpamus, ab iis quæ maximè agimus vacuā & feriatā: tum cogitet vnusquisque quid sese futurū est, cū post peractas vires orbium cælestium, eorūque temporum, exuias suas animæ tandem recepturæ sunt, hæ in pœnam horrendam, illæ in præmiū beatissimum: utræque tamen viuacēs in perpetuum & porrō. Hic cui non mirari subeat simul & miserari, mortalium sensus hebetes ad contemplationem æternitatis: qui quidem ea quæ moribus cōparata sunt, quæque in præcordiis mundi perfidentia, ita inualuerunt, vt callum iam tot ætatum inconsiderantiæ, in communi non modò sensu, sed etiam prudentia duxerint, accuratè, perpensè, & exactè considerarit. Nam quis nostrum, cū sibi suam rem

ipse & præcipuam, maximè atque acerrimè agere videatur: id demum satis agit quò pertinent ac referuntur omnia quæ agimus, curamus, cõtendimus, & laboramus: nisi non eò spectant omnia vel nobis nõ animaduertentibus, aliásque res (vt aiunt) agentibus, commodissimè vt viuentes, desiderare rem vllam ad extremũ desinamus, vel exiguã. At nos sic in patriam, sic in coloniam beatitudine exaggeratã tendimus, vbi demum desiderandi quicquam finis est: vt pueri ludibũdi & erronei, qui cupidè ferè faciunt, sinuosis vt itineribus ac maximè deuiss, ad ludum literarium sese agant (vt est in sermone sæpe vulgi) potius quàm eò vt cõtendant, quò ire destinauerunt. Ab eadẽ ignoratione veritatis, & verò à stupore mētis, illud est, quòd in rebus secundis lætitia gestiente exultamus: quasi auspiciũ salutare acceperimus, id quod plerunque obliuionem æternæ vitæ affert. Quoto enim cuique tandẽ in rebus admodũ lætis, in extis (vt ita loquar) regalibus ac magnificis, obseruari potuit species tumultuarii mortis vadi-monii, quod vltimã denũciat necessitatem, cùm indeprecabilẽ, tum sæpe præcipitem? Enimvero Christus moriens in cruce, felle & aceto gustato, propinasse quoddam poculũ nobis videri potest, partim mētis acrimonię, ad cauẽdas mundi, vitãdãsq; fallacias: partim absinthii vitæ, nõ etiam mellis atq; deliciarũ, si quidẽ adhærescere vestigiis eius cupimus, quibus in celũ mortalibus viã affectandã esse docuit inter concionandũ. Quis autẽ nostrũ nouit quo loco ac numero homines apud Deũ habeantur, in albũmq; destinatricis prouidentię relati sint: qui hĩc vel summo vel infimo ipsi numero mortalium habentur, vel splendido & obscuro? Nimirũ candidis nos & atris dies hominũ calculis adnotamus, ratiocinatione cæca plerunq; & præpostera. vsque adeò absurdè rationem rerum inire mundus nos instituit magister multitudinis: in cuius ludo sic ab ineunte ætatula versamur ad vltimos vsque actus vitæ, vt pœnitẽda semper pigendãque discamus, magna cum afflictatione animi. Stultam hominum superficiariãque coniecturam: cum elogio summa fide prædico didicerimus, in caligine multa altissimãque iudicia Dei esse merisa. Homines certè multos beamus existimatione nostra, quasi per viam pomparum thensarũque ad immortalitatem famæ & memoriæ, quadrigis (vt aiunt) albis vehentes: cùm interim ad sceleratam ipsi portam rectã contendant iter, indẽque ad necem tandem rapiantur abominandam & sempiternam. talis est enim sapiissime catastrophe theatricæ iactationis industriæ, & ingenii, & solertiæ, in qua ciuilis aulicãque prudentia specimen sui præbens, vestigia visenda perpetuã-

e. iij.

que relictum ire vitæ sperat, felicitatem per illustrem æmulandam-
 que transactæ. Quippe si lege sua agere seuerus idem & miseri-
 cors Dominus instituerit: eorum mortalium plurimi qui trium-
 phali porta ingressi, per ora stupentium transuecti sunt populi ac
 procerum, scelerata mox iidem porta, nefastoque exitu ex hac vita ex-
 cedunt. Sed (hei mihi) Christus nobis fidem facere hallucinationis
 nostræ, ob stuporem nostrum nequit, præposterique iudicij: qui
 mundo tot, tantos ipse, tam locupletes veritatis sponsores dedit,
 vadésque capitales. Verum enimvero hominum stultitiam philo-
 sophia ridens, huiusmodi vitam docet laborum esse curarumque
 congeriem, & cumulum angorum, pyramque cupiditatis atque in-
 uidiæ exaggeratam. Inde autem nauissimus quisque atque strenui-
 simus iudicio communis prudentiæ, quàm plurimum sibi sumit, in
 manticamque pertusam ardentis auaritiæ ac perfluentem infarcit:
 sicque præclare rem gerere facerique existimatur, & sua & imperi-
 torum sententia: cum interim irrita labore (ut illa demonstrat vitæ
 magistra) similique Danaidum torqueatur, qui inferis quondam
 destinatus est. Sed nullo thure litabis: hæreat in stultis brevis ut semū-
 cia recti, inquit in Satyra Persius. Humana igitur prudentia litem
 suam luculentè facit interdum, decretis existimandis, placitisque pro-
 uidentia: hominum etiam felicitatem fallaci rationum putatione
 colligit, rerum tantum secundarum modulis eam metiens. Mihi enim
 qui fortunæ obsecundanti vela pandere maiori cōtentione pergunt,
 terrenisque rebus vehementer adhærescere, similes esse videtur feris
 circulo grandi sic alligatis aut inclusis, inde ut erumpere nequeant.
 Ut enim illæ cursim recursimque circulum ambientes, cum nihil
 promoueant, tamen sese semper exitum inuenturas aut solutionem
 sperant: sic ambitiosi hominis vita & cupiditate perciti, nihil aliud
 est, quàm orbis quidam & cōtinuatio curarum, laborum, anxietatum,
 feriem illi ærumnosæ vitæ perpetuam contextentium: cum interim
 ad bonorum summam adipiscendam, quam consecrari videtur, non
 proficiat hilum. Quid igitur in vestigatione summi boni, quod om-
 nes expectare nosmetipsos, in cælum identidem oculos attollentes,
 dicimus: opus est in Ægypti mediterranea descendere? quid usque-
 quaque ibidem expatiari? Quid verò curiosè penetralia Ægyptiorum
 gentis lustrare, indigna utique & auersanda oculis, sanctioribus sa-
 cris purioribusque initiatis? Huiusmodi est ille fortasse descensus ad
 inferos animarum, quem Homerus vir Græcus, poetarum omnium
 præstantissimus, æmulusque eius Virgilius noster finxerunt. quibus

in locis monstra varia esse perhibuerunt, hominúmque cupidorum, auarorum, ambientium supplicia constituerunt, quæ si oculis subii- cere cuiquam & perlustrare placeat, primo cuique fortunatorum in illas tenebras conii- cere sese atque insinuare, multo vtique prom- ptius est, quàm eorundem paucis inde prudentibúque remeare, vel eorum quos ardens euexit ad sidera virtus. tenent enim media omnia syluæ, vt inquit ille. Quibus in syluis lustra sunt & cubilia eiusmodi ferarum, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, insolentiæ, tum salebræ multæ opacæ sunt, sinuosæque in deuia abducentes, lucis etiam superioris inficientes obliuione expatiatores homines, erro- nésque animos. Quãquam quid dixi in Ægyptum descendere? quod interdum atque per occasionē aut necessitatem facere, fortasse phi- losophia alúnis suis indulgeat & amátibus sui: ceterùm & catè & cir- cumspectè, suspensisque ingressibus ob pedicarú suspicionē. Quid ve- rò si homines ab eiurata Ægypti seruitute, exuuiisq; eius in sacra la- uatione abiectis fermè cū detestatione, denuo ipsi nō dico in Ægyptū descēdere sustinent, cōmerciique alicuius gratia peregrinātur: sed in Ægyptū intimam trāsuerſi & præcipientes ruūt, Ægypti tyrannorū ne- xus vltro & cupidè rursus ineunt: qui insani affectus sunt, animi trá- quillitatis perturbatores? in ergastulis etiam eorum miseri cōflictātur, assidua necessitate operis faciundi, ingenuis animis pudendi & de- spuendi? Híc rursus, híc nō mirabimur rationis stuporem, torporém- que intellectus humani? Profectò sensus cōmunis & vita mortalium à vero auersa est, & veluti oculis mentis capta. Non Christos nos esse ipsi Domini, nō vnctos oleo lætitiæ meminimus, diuinique spiritus, qui theatro isto nostrapte sponte vngamur oleo, anxietatis curio- sæque cōtentionis, theatróque asseruictis, vt æmuli scilicet, vt disci- puli spiritus cupiditatis improbiſsimæ, Christianorúmque tantū inane nomē circumferentes. nã instituta ciuilia atque vrbana & planè sēc- ularia, vt titulo ac primore specie Christiana sunt: ita cōsideratione li- mata atque exacta, antichristiana reperiuntur. Age, quotus est hodie quisque, vel ætate hac deprauata, & ad veritatis intelligentiã hebe- tata, nec iam ferri tātum duritia, sed plumbi grauitate temperata: ho- minum dico non profligatissimorum, quasi vsuenerit, vt pro tuendis aris Christi aduersus impiam barbariem pugnandum sit, nō libens in causam piam animam profusus sit? quin se (inquam) coniugem & pignora deuouere omnibus cum bonis paratus sit, si partes ortho- doxiæ in discrimen vocentur? vix decimus vt opinor, hominum quoque sui liberorúmque paulo plus quàm pium est amantium. Sed


e. iiij.

fac ut non minor pars tantum hominum Christianismi spem retinentium, nomen ad sacramentum illud cupidè datura sit. hoc nimirum vehemens indicium est fidentis & infixæ suapte vi religionis Christianæ in animis hominū, hærentisque præcordiis glutino initiorum. Cur igitur aut quæ fieri dicas, ut oraculis euangelicis, ut sententiis consensu nominis vniuersi Christiani sic receptis, ut auctoritatē (quod alibi sæpe dictū est) axiomaticam habeant, tamen assensionem Ephecticorū more philosophorum accommodare videamur? Contrà verò in iis rebus quæ oculatam fidem atque auritam habent, non ephecticum assensum, nō scepticū, ut olim Academici, sed dogmaticū catalepticūque largiamur? Quæ (malū) est ista peruersitas opinionum? num sensuū locupletius est aut iuratius, quàm intellectus testimonium, cui magis credatur? Nunc autem trāsmittam auctoritatem oraculorū, quæ omnem ipsa prorsus hæsitacionem eximit hominibus sanæ mētis, nec Sirenice illecebris sensibūque affectis. Nego hominem esse quenquam disciplinarum peritum, quin formis mathematicis, interuallis & angulis, eorūque theorematibus, fidem habendam certam & fixam esse ducat: ad quæ tamen comperienda, nulli sensuum testimonium ob id denunciatur ad iudicium philosophiæ, ut testificetur de fide demonstrationis eorum. & puncti quidem mathematici, & lineæ geometricæ scientia, cum ne assentiendi quidem cunctationem admittat inter artis discipulos, tamen ab intellectu longe plus, quàm à sensu mutuatur. Quanta autem sit sensuum fallacia, Academia placita docent, instituto Romani fori, iurisque dictionis ciuilis comprobata, si Ciceronis elogio credimus in vltimo Academicarum quæstionum. Quam nostram rationem (inquit) maiorem comprobatur diligentia, qui primum iurare ex animi sententia quemque voluerunt: deinde teneri si sciens falleret, quòd inscitia multa versaretur in vita. Tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret, etiam quod ipse vidisset. quæque iurati iudices cognouissent: ea non ut esse facta, sed ut videri pronunciarent. Et nos Christianismi mordicus retinentes, in iis quoque capitibus amplectendis Euangelicæ legis, hæsitatores aut sumus, aut esse nos ostendimus: quæ si in dubiū reuocentur, summa pietatis Christianæ hæreat necesse est? id autem ominari argumentando, nedum addubitando, vereor ne sceleris instar sit ingentis & expiandi: ita ad infantiam res ipsa nos redegit. Quapropter clausulam huius libri hîc facere coacti sumus, etsi rei indignitas ampliora postulabat, dicendæque affatim suggerere scribenti videbatur.

DE TRANSITV HELLENISMI

AD CHRISTIANISMVM,

LIB. SECVNDVS.



CHRYSOSTOMVS auctor magni splendidique nominis, in epistolam Pauli ad Romanos, laudationem diuini eius viri scribens, ait se non vereri Paulum ipsum mundi cor appellare, innumerabilium bonorum fontem, principium & elementum vitæ. per quem Deus, inquit, arcana miranda effatus est, quodque mirari possimus, maiora quam per semetipsum. Hæc mens diuini viri, immò verò hic animus vitæ, hæc mundi præcordia, Dei sapientia perimbuta, tineta, atque grauida, philosophiam theoriæ studiosam magnopere locupletarunt, atque etiam maximopere. quippe quæ commentationis rerum cælestium syluam, vastam, densam, opacamque aperuerint: in qua sylua velut indagine commentationis cingere cubile veritatis ipsius, summique boni legere vestigia possemus, in montem Olympum ferentia. Is porro Dei testimonio ornatus, quasi lectissimum spiritus diuini, cælestisque disciplinæ conceptaculum, & simul spectatum assumptus adyta sapientiæ, dignissimus est utique, cuius elogia & monumenta, qua de re nunc agitur, instar sint apud mortales decuriæ vnus aut alterius magistrorum, atque etiam centuriæ, è sinu prouidentie Dei, ex eiusque sapientiæ sanctario prodeuntium. Quare qui huic veritatis antistiti, legis euangelæ interpreti, Seruatoris ipsius salutisque hypophetæ, auscultatorias aureis adhibere neglexerit, & acroamaticas, is è schola philosophiæ continuò explodendus est consensu prudentium: & verò è conuentu eiiciendus vniuersorum sacris Christianismi operantium, quam Ecclesiam quasi concionem sanctam piamque, scriptura appellitauit. Atqui talis tantusque is magister in epistola ad Ephesios, filios diffidentie quos vocet non video, quibus iram Dei imminere idem testificatus est, ipse nisi homines Christianos nostri similes, præsertim huius temporis, quo tempore fides vel tantulum labascens, expiabilis utique indiget animaduersionis diuinæ & supplicii: post confirmatam consensu tot ætatum persuasionem diuini cultus, & pietatis eiusmodi quæ proficetur ipse Christianismus. Diffidentie enim filios, quæ *ἀπειθεῖαν* Græcè dixit, eos appellat, non qui fidem abrogant atque auctori-

tatem sermoni euangelico, sed qui vel quicquam derogant ac detrahunt fidei atque auctoritati euangelicæ. In geometria cum elementa concesseris, necesse est ut theoremata quoque ex ipsis coagmentata itidem fatearis: & cum primum theorema, secundum, tertium, & deinceps, ut demonstrata dederis & concesseris, disciplinæ placita poscunt, ut reliqua etiam concedas, ut ordine posteriora, sic necessariò consequentia: alioqui tute improbus videbere, aut stare non poterit constitutio geometriæ, scientiæ cōpertissimæ. In theoriæ porrò disciplina & sacrosanctæ philosophiæ, quæ non lineas imaginarias, non formas quadamtenus opinabiles ut geometria, speculatur: sed diuinam ipsam maiestatem pro obiecto & subiecto commentationis habet, naturarū omnium certissimo, atque eo amplius res alias abstractas & cælestes ab ipso & in ipso sempiternas futuras: in ipsa igitur disciplina tantarum rerum contemplatrice, enunciata veritatis suapte auctoritate rata, ponimus utique omniū suffragio, ea quæ Deus idemque Dei filius, inter homines agens, sub corporis integumento ore suo pronunciauit, ac de patris voluntate spiritusque diuini aspiratione sanxit & promulgauit. Ita quicquid cum euangelicis præceptis aut interdictis discrepat, noxiæ diræ tandem fore inficiando non sumus. Atqui ipse ad quadrantem rationem reposciturum sese & exacturum, conceptis verbis palamque pronunciauit: scriptumque & consignatum ita reliquit, ut ne causari ignorationem huiusce iuris & sanctionis, aut obliuionem excusare quouis modo possimus. Quid me igitur, quid te lector, quid vnoquoque futurum est nostrum, è moribus & institutis sensus cōmunis, vitæ suæ tenorem comparantium, quæ manifestè pugnare cum monumentis sapientiæ cælestis, legæque euangela intelligimus, cum sanctionis terribilis & capitalis clausula promulgata? & in tam dissoluta supinæque animaduersione, & incuria tum pollicitationū, tum minarum Domini, serui insigni nequitia præditi, audemus nobis promittere adeundæ hereditatis copiosissimæ facultatem, adoptiuus Dei promissam? Si scripturæ credimus, Dei filius & sermo, interpres prius fuit inter Deum & Abrahamum, quasi stipulatorem quendam delectæ vniuersitatis hominum, qui veritati & sapientiæ ut parenti, dicto audientes futuri erant, fidemque habituri. Iterum idem Dei filius interuentor fuit inter Deum patrem omnium & genus ipsum humanum, commerciique cælestis & æterni pactor atque transactor. Hoc porrò pactum fœdusque admirabile, non minus admirabili pignore sanctum est & confirmatum. Siquidem

Abrahamo quem diuinitas ipsa in deliciis habuit, ineffabilem Deus pollicitus hæreditatem, quo fiduciam ipsi, eiusque germanæ posteritati plenissimam faceret, sanctissimè adiurauit. Quid inquires, per Stygos paludem, dii cuius iurare timent & fallere numen? Minimè. Quid ergo? terram, mare, sidera? Ne id quidem. iurat per semetipsum Deus, ratum id pactum æternumque futurum, quando ne Deus quidem ipse, tametsi omnipotès, maius iurisiurandi pignus sanctiusque dare potuit: id enim Paulus ipse testatur & admiratur. Tametsi iusiurandum illud Deus non patriarchæ gratia pollicitationi suæ addidit: quippe cuius strenuam fidem nouerat & cunctatione vacuam, non præscientia modò diuina, sed etiam clarissimo recentique exemplo. Cæterum nostram aliorumque mortalium ignauissimam fidem prouidens, corneaque viscera Adamidarum, alumnorum pertinaciæ atque contumaciæ: contra quam testimonium perhibet insignis ipsius patriarchæ fides, graue, clarum, & irrefutabile. Hic si quis me roget, cum receptissima sit meritò auctoritas scripturæ, cum interdum sensuum sublimium miracula inter commentandum in ipsa emicantia, fidem rerum diuinarum manifestam faciant: sic ex ænigmatibus illis diuini sermonis raptim coruscantia, quasi fulgetra quedam rapida, è nubibus altissimis erumpentia: denique cum exempla tot prodita sint certissimæ fidei à viris sanctissimis, quorum nos memoriam colimus ut venerandam & consecratam: hic igitur si quis quærat, cur adhuc affines esse pergimus apithiæ gentilitiæ, Nihil aliud habeo potius quod respondeam, nihil quod ausificer, quam heberem sensum communem & euanidum, quo nos magistro passim utimur, rerumque diuinarum humanarumque æstimatore. Nos enim tum Dei, tum eius sapientiæ odorem quendam, vel succisuiis horis commentando captamus, vel tantisper dum operam damus sacris auscultationibus: interimque dum odor rerum diuinarum quasi vnguenti suauissimi fragrat, admiratione earum & suauitate ducimur. Simulac autem res alias agere institimus (quod nunquam non fermè facimus) sensibusque vacare, de rebus vanissimis, aut certè ab illis diuersissimis, ad principatum animi referentibus, quasque ad senatum ciuilis prudentiæ: odor tunc ille natura fugax, protinus euanidus abit, & memoria eius interit. Nec verò ex eorum numero sumus, qui dicere cum Paulo potuerunt, Gratiā Deo habemus, qui odorem cognitionis Christi in omni loco manifestum per nos fecit. Etenim qui hoc dicebat, quocunque locorum ipse, gentiumque se conferebat, vnà quoque odorem cognitionis Dei, Christi que

disciplinæ circumferebat: videlicet illa est tyrannis principis mundi abrogata tantum à Christo inter filios Dei, qui in regno eius agunt. Quem principem idem apostolus ad Ephesios scribens, imperatorem huius sæculi, & potētatus aëris nuncupauit: ideo (vt cēset Chrysostomus) quod ipsi natura humana sese, partem quidem longè maximam, in nexum vltro dedit & mancipium: idque fit hodie ab ipsa, iudicio tam præpostero, ac de salute propria dirum in modum merito, vt Christo Dei filio nemo penè attentionem accommodet, etsi tanta nobis taliâque pollicenti, eadēque perpetua: principi autem ipsi mundi, confertim mortales sese agminatimque, tanquam duci proprio agglomerent, asseclâsque sese præbeant, præsentia quidem illis festiuâque, sed temporaria promittenti fallaciâque. Cuiusmodi auctoramento mortales obligati tyranno tetrissimo, sacramenti immemores quo in verba Seruatoris adaecti sumus, salutarem militiam regni Dei beatamque detrectamus, atque è numero delectorum Christi, aut certè euocatorum, in numeros protinus viui (vt dicitur) videntēsque transcribimur noxæ Stygiæ destinatorum. Miserum ac perditum, dirumque consilium. hancine vim cupiditatis, hanc ambitus, hanc voluptatis, eiusmodique annonæ militiæ infernalis, vt iis stipendiis allecti homines, nec cælestes postea numeros copiasque beatas recordentur, eorūque emerita stipendia, sempiterna futura? Hæ sunt scilicet præstigii & fallaciæ Caci illius Stygii, auersis vestigiis cæcisque, mortales in illud Orci specu vastum horrendumque rapientis. ~~Accessit~~ enim in nobis acer ille instinctor, æmulationem, cupiditatem, lasciuiam, libidinem, aliōsque igniculos cognatos inferorum, insitos naturæ deprauatæ: atque iis consternatæ & velut fanaticæ mentis cæstris, cæcisque furiarum aculeis, aut præcipientes agit homines, aut transuersos eos rapit in exitium æternum. Quem casum præcipitiūque tartareum, si vitare ipsi prouisum & auersari cupimus: oculos protinus retorquere ad Seruatorem oportet: qui in crucem mirificè sublatus, atque vndique conspicuus, expasis etiam vlnis sinum in suum nos ac præsidium euocat assidue: ac tergeminus quidem in persona atque in numine Deus, vnus in natura & substantia, à primordiali statim noxia, oclusos sapientiæ thesauros habuerat, mirèque inuolutos & obsignatos in oraculis suis. Iesus autem ipse Christus, nunquam sine præfatione Seruatoris hominum à nobis appellandus: idem Dei filius, & verbum, & sapientia eiusdem, in officina paracletica corpus humanum factus, clauem illam antea inauditam mundo attulit gazophylacii cælestis, scriniâque

reſerauit inexhauſtæ ſapientiæ atque beatiffimæ. A cruce autem eius tanquam à perenni fonte ſalutis, à capiteque manantis per orbem fluminis veræ & æternæ ſapientiæ, ducenda eſt ratio prima & vltima philoſophiæ, commentationiſque ſumma pertinentis ad theori-
 am: quæ dubio procul ipſa contentione animi probi atque ſublimis, attentioneque eiufdem perpetua digniſſima eſt. Pandito nunc occluſa Deus, aureiſque noſtras ieiunas myſticæ diſciplinæ, verbo ſuo mirifico ac ſpiritu impleat: eiufque vi aculeata ſuauiter, & flexanima ſtupentia præcordia cieat. Plus eſt enim infinitis partibus aſpirans paracleti numen in oraculari ſtudio, quàm actio aſſeruiens & pronunciatio, quamlibet animata in oratione humana: vt mirari deſinamus non perinde conſtare omnibus eius ſtudii rationem, euentuque eodem cedere. Refert enim non quatenus quiſque ſe ingurgitet aquis ex illo flumine exundantibus, ſed quo ſpiritu afflatus, & quàm ſitiens immortalis ſapientiæ: tum homines quidā crudi, con-
 coquere non poſſunt aquas, hauſtas quidem ſæpe auuditatis curioſæ congio magis, quàm fidei bonæ cyatho & charitatis Dei. niſi verò putare debemus bono ſtomacho eos eſſe, qui eſculentam carnem Chriſti veram, & potulentum ſanguinem, auribus admittere ſine ſymbolo nequeunt, nedum ſcripturæ elogio renuunt, tótque animarum ſanctarum priſcarumque auctoritati credere: quóſque Chriſtus ipſe auguſtiſſimi ſacramenti conditor, cum iis valere iuſſit, qui ipſum olim de hoc ſermocinantē ferre non potuerunt: vt eſt apud diuum illum Ioannem ſcriptum, à manu eius ſeruum fidum atque dilectiſſimum. Agedum igitur, agamus nos (inquam) quod agitur in vita præcipue: ſiquidem rationalis animans, à ratione recta, non item ab obliqua & peruerſa, finitionem ſuam accepit. Lignum ligno normaliter incubans, caduceum pacificatoris eſſe, non dicamus modò, ſed ducamus etiam, ac mente permemori teneamus: quem inter diuinam humanamque naturam interueniſſe, & diuinis elogiis, & traditæ per manus auſpicatò initiatas auctoritati non dubiè credimus. ſic enim maiorum gentium ſenatus ille cenſuit, ætatumque heroicarum germana, docta, inspirata, incorruptaque prudentia. ſic cæturæ primæ claſſis, diuinis ornamentis ac dignitate præditæ, ob idque non dubiè prærogatiuæ, ſciuerunt ac iuſſerunt. ſic capitali pig-
 nore cauerunt, ſic fide ſua ingenti & admiranda eſſe iuſſerunt, agmina illa numeroſa teſtiū, vel innumera potius, qui vades pro Chriſto ſemetipſos offerre ſæuiſſimis tyrānis ac truculentiffimis minimè detrectarunt. Sic denique rei euidētia fateri nos cogit, quæ in oculos
 f. j.

quidem illa incurrit: sed hebetatos rationis rectæ conuiuentia, nebula insuper offusos à Caco exhalata ex antro illo tetro, tartaridarum domicilio, draconisque faucibus. Age igitur rursus, hoc insigne salutis, hoc symbolū pacis superū impetratæ, hanc notam, hoc monumentum adoptionis diuinæ, iūsque cernendæ hæreditatis optimæ atque beatissimæ, pro amuleto circumferamus alexicaco: in sinu id gestemus, apprimamus id præcordiis, videamúsque magnopere ne discinctis aut malè cinctis excidat. totos enim nosmetipsos contactu eius atque osculo, lustratos esse meritò confidimus: quippe qui illa veluti cælestis Herculis claua, tria Cerberi tetra capita, concisa atque elisa, ternas fauces contractas esse norimus, voluptatem, cupiditatē, fastum: quarū primæ voracissimæ, secundæ hiantissimæ, tertiæ sunt tumentissimæ. Orci quoque repagula antea intacta & immota, illo veluti sacro vecti cōuulsa citò scimus: custodiāsque vetustas vindice Seruatore extractas, quæ clausæ in caligine, desiderio lucis supernæ iandiu tenebantur. nam tulit hinc illis aliquādo optantibus ætas auxiliū aduentūque Dei: Alcidesque magnus ouans victoria venit, clauator diuinæ maiestatis: opima subinde spolia illaturus in ærarium cæleste, visendū, splendidū, & copiosum. Tum primū manes Cacus videre trementem, turbatūque animo. Hanc denique referam esse gloriari iure possumus, initi & contracti hospitii perpetui inter cælum & terram, Deum inter mortalesque, incolas huius orbis. Commericii cuius ergō, præna sæpenumero nostrum canimus in obsecrationibus & præcationibus, quæ fiunt in templis sanctissimis, interim dum pacem Dei superūque exposcimus. Scimus & in hoc ligno, lustralique adeò expiabilissimoque signo, duas inesse normas: ad quas omnem lapidem exploratum oportet, qui quidem quadraturus sit in structurā fani mystici. Hoc idem porrò lignum inuertere tute si institeris, trutinam statim exactam in eo inueneris, quæ tanquam in æquilibrio iustitiæ constituta, neutram in partem vergit. nam in libra iugum ita porrectum ut stet ad exactum æquilibrium, vtrinque rectum vnū efficit, ut Aristoteles inquit in Mechanicis. ad eundemque modum brachia expansa in porrecto ligno, corpore in sublica ad perpendiculum extenso, singulos rectos vtrinque figurant, & tanquam deliniant. In hoc lecto pœnarum Christus iacens, emptor ipse familiæ (ut verbo vetustissimo iuris utar) hæres in asse relictus æterni patrimonii, testamentum suum condidit, vel conditum potius confirmavit. in quo quidem testamento ab octo beatorum gradibus eos ipse reliquit exhæredes, quos

ciuilis prudentia felices, ac frugi homines esse iudicat : cùm inter-
 rim fidissimis suis amicis , quibus pacem suam dederat vt legatum
 vberimum & in primis expetendum , doloris atque æumnæ ab-
 sinthium propinauerit in calice philotesio . Verùm id genus sup-
 plicii (mirum id dictu, stupendūque mediatu) seruire apud priscos
 & detestandum, à Christi Seruatoris morte cultūque venerandum,
 sacrosanctum, augustum esse cœpit, atque etiam laureatum, idque
 meritissimó. Siquidem Iesus Christus, è cruce velut ex ara quadam
 insigni, edita & conspicua, quasi è loco superiore, principem illum
 mundi cum copiis suis fudit, fugauit: ex arce etiam oraculari, in qua
 sibi numen ille diuinūque cultum vsurpauerat, luculentè deiecit,
 præcipitēque deturbauit. Opima præterea spolia eiusdem è regia
 retulit, vasa automata atque animantia, argentea aureaque, è medio
 atque è penetralibus Ægypti repetita, asportatāque, ad ornamentū
 ædis suæ delegit, quam è lapidibus delectis, ex eodēque principa-
 tu ac tyrannide ereptis, statuerat iam olim ab æuo architectari, at-
 que ædificandā locare. Hic Ægypti ipse tyrannus gladio suo iugu-
 latus est . Nam qui morte seruatoris funestum facere regnum Dei
 existimabat, omnia illic festa laureatāque fecit, ipsius supplicio &
 asseclarum eius fidissimorum. Circa hoc diuinę maiestatis facinus,
 nobis semper memorabile & prædicandum : quo nec miraculum
 maius diuinitus ad hunc diem editum est, nec in posterum eden-
 dum : quod natura ipsa, cœlum, cœlique decus atque insigne, retro-
 actū mirabili defectūque testata sunt : philosophia summi boni in-
 dagatrix & cupientissima, longè acrius cōmentari & speculari de-
 bet, quàm philosophia Græca, circa fines inquirendos bonorum &
 malorum quondam commentata est. Quos tamen vt vnaquæque
 ipsos maximè familia philosophica, proximè persequi sese existima-
 uit, ita ferè auersis maximè vestigiis indagauisse postea inuenta est.
 Age, mitto nunc (quanquam id planum facere possem) nihil animo
 philosophico salubrius esse & magis exoptandum . Ecquid autem
 dignius summis ingeniis , ecqua verò commentatio suscipi maior,
 sublimior, capacior, longè, latè, altēque patentior , quàm ea potest
 speculatio, quę fines omneis mathematicos, extremaque rerum na-
 turarūque complectitur? At Christi cognitionis studium in cru-
 cem acti, eiusque mysterii (vt Gręci vocant) mirifica œconomia, non
 modò vnā aut alteram naturæ dimensionem, sed altitudinis duo
 extrema finibus suis ambit, quos ne vniuersi quidem globus valet
 capere atque comprehendere: ultra quod philosophia antiqua nihil
 f. ij.

agnoscere voluit. Hanc scientiam Paulus ille (vt dictum est) clarissimus antistes sapientiæ, discipulis suis Ephesiis ominatur, ac diuinitus exposcit: Vt possitis (inquit) vnà cum omnibus sanctis comprehendere, quid latitudo, quid longitudo, quid altitudo, nosseque cognitionis Christi charitatem præstantissimam, quo impleamini & absolua mini ad totum vsque Dei complementum. Quibus ille verbis, vir diuinarum rerum consultissimus, seruatoriæ vim œconomiæ effectumque immensum exprimere mirè voluit & significantissimè, vt OEcumenius Græcus auctor, ex sententia Photii hominis acutissimi scripsit. OEconomia autem à Græcis theologis dicta est, verbi Dei vita, in corpore mortali existentis, cum theurgia mirifica totaque illa salutis hominum peragendæ diuina prouincia, quã ipse libens seruaturam appellauerim, ab eo administrata secundum mandata præscriptaque Dei patris, à diuinis quondam vatibus mûdo prænunciata. Longitudo significat ab omni æuo & ante tempora, cognitionem eius quod dictum est, apud homines, atque administrationem, à Deo præfinitam fuisse. Latitudo ex eo intelligitur, quòd in omnem gentem vis eius & potestas extensa est & propagata. ad eos enim qui ante legem, ad eos qui sub lege, ad eos qui post legem fuerunt, humanitatis Christi, & rerum ab ipso, Deo simul atque homine gestarum, beneficium & fructus efficacique spectauit. Altitudinis extrema eò pertinent, vt intelligamus, eundem Christum ad inferos descendisse, ad celumque ascendisse, & simul primitias humanitatis beatissimæ super omneis gradus angelicos eundem sustulisse. Ad summam, in Christo cruci affixo, non modò fundamenta fidei iacta sunt, sed & substructio ipsa & exædificatio Christianismi, columnen & fastigium religionis, eo firmamento nituntur: id enim pro axioma tenere nos oportet. Quod nisi fecerimus, aqua disputationis nostræ, ratioque adeò tota prorsus heredit sanctioris philosophiæ ac theoricæ. nam & sanguinis Christi expiabile numen inde pendet, quo fœdus vnitatis mortalium cum superis atque immortalibus, sanctum est. Postremò hoc habet philosophia tanquam diuinæ cornu copiæ, vnde non alimenta modò theoriæ, sed etiam delicias suppeditet contemplationi æditæ & reconditæ: vnde diuitias summas animi studiosi promat, fidem, spem, charitatem: vnde in rebus acerbissimis, æquum animum, in secundis, vitæ contemptum. Est apud Platonem in apologia Socrates Delphico se oraculo differens sapientissimum hominem pronunciatum esse, non aliam magis ob causam, quàm quòd nihil se scire

opinaretur, nisi vnum id ipsum, nihil se scire ipsum. Vas illud lectissimum summi ac cælestis Promethei, Paulus iam sæpe dictus, ad vnguem figuli ipsius absolutus, nihil se scire gloriatur, nisi Iesum Christum Seruatorem, eumque cruci suffixum. Vtrum igitur horum doctiorem, sapientiorem, rerum commodarum homini prudentiorem, arbitrari debemus? hunc claro elogio nouimus in cælum sublimem esse raptum, haustaque doctrina ex adytis sapientiæ, nobis oracula fudisse, diuinæque cōsilia enarrauisse, ea demum quæ in vulgus promulgare ac prodere, quatenusque licuit. à quo viro præcipuè, secundum quidem Deum simul hominemque Christum, factum est, vt studium sapientiæ in cælum è terra sublatum sit: quod contrà Socrates è cœlo in terram deuocauerat, ad mores hominum componendos, quorum immortaleis esse animos ipse quoque censebat, si Platoni credimus. Profectò harum rerum commentatio cōgruens est homini philosopho, primæque & summa digna philosophia. cuius vnus & studii & contemplationis altitudinē, magnitudinem, amplitudinem, non dico exhaurire nequirent omnes philosophorum sectæ, numerosæque familiæ atque ingeniosissimæ: sed satis admirari, si nunc reuiuiscerent, rectamque religionis opinionem, quæ orthodoxia dicta est à Græcis, tuendam aggredierentur certatim & explicandam. Dei filius idem ratio & sermo & sapientia patris, cælitus delapsus è folio diuinæ maiestatis, cum humani generis gratia hominem iustum plenumque suscepisset: in eo homine ipso cætera nobis simili, ortus tantum priuilegio, & culpæ vacatione exemptio atque immuni, agi in crucem, in crucem (inquam) agi, figi, extinguique sustinuit. Hoc cum longè maius sit beneficium erga mortales, atque luculentius, & verò admirabilius, quàm mundum condidisse, in eoque vitam ficto homini luteoque inspirasse: quotus quisque nunc hominum id recordari videtur animo satis grato atque rem perpendenti, vt quidē par erat agnoscere gratiæ magnitudinē? Nam cum magnopere inculcatum sit, & penè auribus infixum populi & primorū, hoc consilio prouidentie, beneficentissimè, honorificentissimè, summæque indulgentia cum homine diuinitus actum esse, iccircoque Christū id facere cum patre & spiritu cœlesti statuisse, naturam vt humanam secum sublatam in crucem, ibique restitutam immortalitatis primæuæ natalibus, in cælitum deinde ordines adoptaret & transcriberet: nos tamen certatim id agimus (ô diram amentiam) certè quidem plerique qui in medio & publico viuimus, longissimè vt à cruce dominica liceat nobis esse, vitamque traducere.

f. iij.

At hoc quidnā est aliud (cōferre enim hīc pedem cum veritate tandem oportet) quā seruaturæ Christi acta aut abrogare, aut irrita facere? quā præeuntem nobis Deum viam salutis, destituere, in diuersūque iter contendere quā quisque potest maximè? O vitam hominum præposterè, ô exitialiter, ô perditè comparatam! tū cū Christi nomen, numen, doctrinam adores: cū expiabilem esse censeas & fateare: ita tamen vitam studiāque vitæ instituas (de me autem cum primis loquor) ab eius vt præceptis, institutis, exēplis abhorrere videre? Videamus per Deum ipsum immortalem Christum, immortalitatisque parentem, ne id ludicatoris sit assclæ, aut parum sanæ mentis. Nos stipendia facere auspiciis Seruatoris omnes videri, existimari, perhiberi volumus, vtpote sacramento mirabili in verba eius adacti. Quis enim hoc non magnopere præ se ferre contendit? tesseram etiam eiusdem militiæ, insignēque gestamen venerari gaudemus adorabundè. Ceterū ærumnulas, muniāque militiæ, quorum illa sunt indicia & monumenta, obire reuera abominamur, vt mala, vt incommoda (ô rem cum professione Christianismi discrepantem) vt homini omni ope opibūque depellenda & procuranda. Heu incertum & stolidum vitæ nostrę propositum, ac nihil omnino præferens quod spectet ad finem bonorum consecrandum, malorum auersandum. Nisi verò non rebus affluentibus & lætis exultamus, gaudióque perfundimur, vt salubribus & expetendis: tristibus & aduersis vultus ducimus & contrahimur, vt noxiis & longè reiectaneis. Adde quod diuum Paulū ipsius hypodidasalum sapientiæ, qui in cruci affixo meritò ponit omnia, & beatum ipsum, & æternarum rerum prudentem & consciū, tum fuisse dicimus maximè & credimus, cū de Christo philosopharetur, crucisque supplicio: & porrò inspectorem supernæ sapientię, arcanorūque eius mirabilium & visendorum. Age iam, cū diuorum reliquias miremur vt heroum, earūque loculos auro & gemmis ornare moribus receptum sit: qui velut calones Seruatoris, susceptam eius clauam ad extremum pertulerunt, partim non frigore, non æstu, non inedia fatiscientes: partim ne acerbissimis quidem pœnis cedentes, maioribūque humana patientia: sed cū eam ob rem memoria eorum publicè consecrata sit: cū priuatim beata, augusta, votis etiam imploranda ferè existimetur: quī fieri potest duntaxat fide bona, omnia vt è diametro opposita, omnibus vngulis (vt dicitur) captemus & aucupemur? nimirum, quòd prudentia ista, quæ in publico medióq; versatur (de Nestorea

loquor, & senatum principem) cum in perspicendis vanitatibus Argo oculatior, in rebus temporariis Corculo illo ciue Romano cordatior sit, in diuinis tamen rebus æternisque existimandis, hebes, secors, excors esse, atque adeo væcors, manifestò deprehenditur. Age rursus, paulisper fateri verum sustineamus: vt fit, cum fidiculis sordidata conscientia subacti, sacerdoti expiatori indicare nos contaminatae mentis, & malè sibi conscientia, visum est. Quotus igitur iam quisque nostrum, de spe æternorum bonorum interdum percunctantibus, cuiusmodi, quantamque habeamus eorum expectationem atque desiderium, ex adyto cordis sui responsa dare iudicandus est? & non è limine potius ianuaque tantum eius templi, in quo templo verbum Dei veritatisque diuersari sustinet? & nos adoptionis liberi (ij enim esse verissimè gloriamur) hospitem admittere veritatē non veremur, non grauamur, non perhorrescimus, in diuersorium vanitatis, & simulationis, & perfidia? Nisi verò non est perfidia, fidem fallere, ab eoque reuera desciscere, in cuius verba solenni sacramento diximus. Enimuero illi duo falsi testes & vanissimi, sceleratique mentis humanæ interpretes, vultus & lingua, mundum impleuerunt vanitate, præstigiis, & circumscriptionibus: quæ ludibria sunt aperta Christianismi, apud Deum quidem illa, criminosa atque capitalia: ceterum apud homines, lauta atque vendibilia: si quidem ad verum loqui, non ad veritatis simulachra volumus. At id si aliàs vnquam, nunc omnino nobis faciendum est, tanquam in exhedra quadam sanctioris philosophiæ differentibus: atque id cum paucis tantum, iisdemque initiatis (vt aiunt) maioribus initiis, & profanis procul arbitris: sic enim existimari volo. Nam quid dissimules? quid te ad maiora reserues? Num locus alius, num tempus, num argumentum appositius aliud esse potest? Iam verò Ioannes ille baptismi proditor primus, ab eoque nomen adeptus, quem vnum euāgelus, cœli aduena, pro cognitore dandum censuit mortalibus, vt idoneum & locupletem (ab hominibus enim Christus nondum agnoscebatur) quanquam cognitore non opus erat ei, qui tesseram circumferret indicem sui generis ac natalium, edendis tot talibusque theurgiæ mirificæ facinoribus. Et erat missus è cælo ad res humanas inspiciendas, potestate cum summa, summoque cum imperio. Verum ille antea mbulo veritatis & prænuncius, quodnam tandem initium adueniens dedit disciplinæ philosophicæ? Resipiscite (inquit, ad populum iuxta atque primores loquens) quandoquidem regnū cælorum appropinquauit. Resipiscētiam autem nemo nescius est (opinor) mœ-

f. iiij.

stam, & veluti squalentem recordationem esse, ob errorem admissum in vita instituenda, atque in ratione comparanda ad functiones animæ commodas, naturæque rationali consentaneas & congruentes. At verò cui resipiscere contrigerit resipiscencia euangelica, id est poenitendam esse admodum pigendamque Adamidarum vitam persentiscere: qui cum salutis appetentis præcursores philosophari, qui cum ipso denique Iesu Christo diuinitatis emissario & interprete, rationem vitæ beatæ inire instituerit: huic in primis expiandus ille Adamides vetustus est, qui in Dei comitatu obsolescit, cum aliàs, tum verò poenis obsecus vel admissa vel consulta & instituta, ab sese expetendis. Et qui è cælestis iam vitæ præceptis, quæ inter mortales inclaruit per Iesum Christum & prodita est, rediuium hominem suum formare concupierit: is suauem vt nexum disciplinæ euangelicæ, atque interpolatricis hominum, ineat necesse est. nanque hac vna ratione vitæ, tetro ex illo cæcòque ergastulo Stygij plagiarij exire, in libertatèque poterit asseri arbitrii, dignam animo immortalis, & præsertim philosophiæ cupidissimo. Liberum autem arbitrium cuiusmodi intelligam hîc testandum habeo, ne conflictari mihi contingat cum iis qui status controuersiam duriusculam nobis faciunt, aut cum illis qui decretis vel nouis, vel rediuiuis potius, in necessitatis compedes imegisse dicuntur: quos Christus vindex cælestis, liberali manu (vt antiquo verbo loquar) asseruerat, è catastâq; A Egyptiæ impotentia & Hellenismi, ad pileum Hebraismi prius, deinde Euangelismi, euocauerat. Mihi quidem τὸ, τε αὐτεξούσιον, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ πάλιν τὸ ὑπὸ τῆς προνοίας προωρισμένοι καὶ καθέστηκες, altrinsecus posita, eiusmodi disceptationem excitare videntur, quam propter intellectus humanus Pythium illud γὰρ θίσει αὐτὸν recordari debeat: deque ipsa controuersia, cuius Paulus disceptator esse arbitèrque veritus est, aut prorsus nihil, aut amplius atque amplius pronunciare in perpetuum. Quid enim iudicio mortali cū iis, quæ Deus ignota nobis esse voluit? Hoc autem nuper vir doctissimus, ac de literis eximiè meritis, quem nominare in præsentia supersedeo, rectè censuisse mihi visus est, in locum illum insignem scribens epistolę diui Pauli ad Romanos, contra quàm plerique arbitrabamur eum sentire, ob quædam quæ exierant ab eo præproperè, aut exciderant illi fortasse expressa studio amicorum. Ego verò existimo (vt alibi dictum est) eas contentiones, quæ hac de re quibusdāque de aliis exarserunt non ita pridem, studii plus habuisse (vt fert concitatae mentis impetus) simularisquę philosophicæ, nō vnīs forsitan in partibus, quàm æquitatis

innocenter æmulæ, ac candoris animi, euangelico spiritu indolèque imbuti. quod pace dictum velim omnium ad quos id pertinere potest. Satis enim omnes nouimus quàm ægrè sibi temperare soleat strenua vincendi cupiditas: præsertim cùm Marte suo splendentique freta est, & Palladis instinctu percita, geminis armis instructe. Haud equidem nescius sum, ita nos esse liberæ volūtatis, vt & motus animi nihilosecius, & temperatio habentque; propositi ac consilii, apud hominem illa quidem, cæterum penes Deum sint, animorum utique potentem, & creatorem. Siquidem prouidentia fascibus & auspiciis, arbitrii ductus, tenorque volūtatis, consensu omnium cedit non insipientium: utpote in quo viuamus, moueamur, & simus: quod idem Paulus ait. Nec ideo tamen quisquam est sanæ mentis, quin in perperam consultis, in temere susceptis, in secus admissis, simul vt resipuit, destitutum illico à Deo sese culpa sua aut scelere fateatur, perurgente cōscientia: quin pœnam eo nomine, à numine, ab homine deprecari vereatur, quasi non volēs ipse, insonsq; peccauerit, etiam si imprudenter quasque imprudēs egerit. Quocirca putidum admodum est auribus lectorum & auditorum ac fastidii plenum, quod quidam scriptores huius temporis, homines pereruditi in disciplinis elegantibus, libentius nihil faciunt, quàm vt libero arbitrio eiusque assertoribus proteruè conuiciantur, alternasque commentariorum paginas eodem argumento impleant, sese in hoc venditantes factioni, vernili penè dixerim loquacitate: vt non decantatior fuerit Orestes olim in fabulis scenicis, quàm arbitrii & iustitiæ humanæ per ludibrium mentio in libris theologicis. Neque verò sunt hæc acroamata tam scita, vt decies repetita placeant & centies. Neque fides & dilectio numeris omnibus absoluta, mellita sanè vocabula, suauiorque digna, atris illis salibus discordiæ satyricisque aptè commendantur, aut conueniunt. Atqui hæc ipsa nomina, honoris tantum causa Christianismi commendanda nominatim atque euangelii, sordere iam cœperunt, atque obsolescere vsurpatione nimia. Ecquem enim iam pudet, non dico scriptorem memorabilem, sed vaniloquentiæ nunc celebris institorē illiteratum & officinarium, iustificam istam fidē, nulla non virtute vacuam, supinam & inerrem, & verò sempiternæ vitæ securam, obuiio cuique venditare, libello è sinu prompto? & homines non animam sed spiritum ducentes, & charitatis alumnos (vt quidem credi volunt) amarulentiæ sarcasticæ sententiis non pudet, aut piget, rerum diuinarum commentarios fœdè contaminare? nimirū multa acrius & nauius oppugnarentur,

celerius & certius expugnarentur, in hac quidem certè specie, composita acie argumentorum, ac genere scribèdi didascalico: quàm petulanti maledictorum agmine, & vicissitudine rescribèdi acerba, & argumento dissona. Etenim moratas disputationes, qua de re nunc agitur (mea quidè sententia) non morosas esse conuenit, si numine afflatas esse volunt existimari: quod necesse est omnino iis qui persuadere cupiūt. Verùm enimvero philosophia nostra Christianismi alumna, admodum diuersa est, ab horrensque ab Stoica & arroganti: quæ nihil non tribuit & largitur humanæ sapiētiae, cum hæc nostra oraculari autoritate cōdocefacta, homini quanuis eximia ac felici natura prædito, quanlibet docto & sapienti, nihil opis & præsidii in cohorte sensuum, nihil in facultatibus animi esse censeat, quantūuis tranquilli, compositi, atque considerati, duntaxat ad summam bonorum adipiscendam: si quidem fiducia sui subnixus, vel vir, vel homo, pomœria egressus sit diuini præsidii: aut si tessera vigiliarū oblitus, securitatis culcitre indormiscere cœperit, tanquam sub tutela tutus sapientiæ philosophicæ. Offensatrix est enim casitatrixque adeo humana sapientia, adminiculique indigens supernè profectitii: non aliter atque inter velificandum nauta, tametsi non cessans & sollicitus, flatus tamen indiget obsecundantis, qui votis exoratur vt Dei indulgētia. Et nobis res est in vita cum angue peruigili, reptili, calcebus imminente, stolido primùm sensui quasque muliebri, obrepente: dein rationi quoque sensim masculæ ac meditatę, sæpe etiam à calce sursum versus arrependente, eorūque tandem ceruicibus sese centuplicato circumplicante, qui hilares, nitidi, prætextati, conchyliati, tum sacris & profanis fascibus conspicui, turbam summovent longissimè popularium. Sator est idem messorque scelerum, ex improviso ferè imminens, omnes articulos callens, omneis aditus tenens circumueniendi hominum quanuis circūspectorum. Cæterum eo exitiabilior hostis, atque inimicus capitalior, quòd minus iis infestus est, vnde propius abest: id quod iam olim de vulpe in prouerbum venit. Nam quos in ære suo esse nouit, eos partim in tranquillitate quadam acquiescere atque securitate, partim altum somnum edormiscere prosperitatis finit: nimirum feriarum vitę vsuram, & laxamenti deliciarū, in nexu sempiterno durissimè exacturus. In vniuersum porrò generis humani noxię antiquissimę & decantatissimę, parens & auctor: quæq; diuinitus tantum expiabilis erat. qui ob superbicæ immanissimæ facinus, cælestiū ordine morus iudicio Dei, primo amplissimóq; gradu dignitatis deiectus pro seleno præcipitio

(vt Græco verbo dicam) malorum omnium vitiorumque semetem, per orbem terrarum vbique iecit ob inuidiam: ex qua messem perennem animarum iam inde à primordiis rerum facere instituit, atque in dies magis ac magis pergit, multiplicem & variam, & exaggeratissimam. In messe autem quam Seruator sibi facere suoque in agro instituerat, quem suo nomini nuncupauerat & consecrarat, annulo etiam suo sponfalitio obsignauerat, stragem semper edidit & populationem, sæculis multis calamitosissimam: & verò nunc maximè pergit edere luculentiorem indies, quàm plebis, quàm procerum. Id quod communis sensus animaduertere, partim alias res agitans, partim ad res stupens perpetuas & immortales, non potest. Pròh supreme conditor, ex tanta massa tuæ figlinæ quotam partem delegisti, quam in cohortem illam beatam fecerneres amicorum? Quis rationem inire hanc auspicetur sine horrore animi ac stupore? Verùm ille improbus, mortis immortalis conditor, à primordiis protinus, & à vitæ intellectusque tyrocínio, mentem humanam ad imaginem Dei factam, de statu deturbauit securæ ac beatæ innocentiae. In vno autem aut in altero homine lioris sica feriendo, posteritatem totam in æuum fauciauit, lethali quidem illo, nec tamen inexpressibili vulnere. Etenim Dei filius, decreto æterno destinatus humanitati suscipiendæ, immortalitatisque morte sua mortalibus restituendæ, in crucem actus ab hominibus, (quod identidem inculcandum est auribus) naturam ipsam humanam, quam diuinæ sociabilem aduentu natalitio fecerat, in gradum ille quidem, sed tamen sic reposuit, vt caducam ipsa conditionem retinuerit, cum voluntate (vt suprà dictum) utroque versus quodam modo libera, tametsi obnoxia.

Hic locus est, parteis vbi se via findit in ambas. Et animaduertendum nobis est hoc in loco etiam etiàmque, quò nobis hæc libertas arbitrii, qualis est illa cunque, data sit: quanto cum discrimine ad finem properemus, & summam bonorum aut malorum: quàm decliui denique loco, quàm lubrico, quàm abrupto situm sit diuortium illud viarum, sursum semel, deorsumque ferentium: quandoquidem inde reditus nullus est (horrendum dictum) sperandus aut timendus in sempiternum, adeò metus nullus illuc, spes huc omnino nulla comes est. At vasculum nullum horoscopum mortis inuenire hominū solertia potuit, duntaxat non vanissimū, etsi summa industria cælestium motus corporum, statasque vices eorum conuersionum, scrupulari obseruatione comperit & prædixit, atque eo amplius momentaria. Philosophia autem euangelica non alio vel

solario utitur, vel nocturno horoscopo, quàm tessera vigiliarum à Domino nobis data, qui excubias & matutinas, & vespertinas, antelucanasque edixit. Omnium enim horarum advena est mortis nuncius: idem viator supremi tribunalis, interdumque vadator hominum, præceps atque tumultuosus. Proh diui nunc immortales, quodnam argumentum conuenientius esse potest, aut commodius commentationi philosophiæ? Certè sub armis eius, intraque præsidium philotheoriæ expeditos, à morte deprehendi satius est, quàm sub fortunæ sarcinis, in campo ambitionis, in statuiis cupiditatis, in diuersoriis amœnis opprimi voluptatis. Verùm enimvero mentes ad diuina æternæque contemplanda conuersas, furie veteratrices, & improuisæ, atque vbique locorum grassatrices & maleficæ, variis auocamentis ac ludificationibus abducunt: opinionem vel fixam æternarum rerum labefactant: quippe quæ res gestas à Seruatore, actorumque seruaturæ auctoritatem, omnem etiam (vt supra dictum est) œconomiam tamen si testatissimam, in opinione, in sensu, in fide tot ætatum, tanquam in æs incisam, monumentis marmoreis & cedrinis, æuque nullo cessuris, insculptam, inculcatam etiam tot gentibus, & cordi (vt ita dicam) terrarum orbis inustam, tum fide, morte, cruore tot agminum deuotorum sanctam, fixam & affirmatam, tamen labefactare identidem aggrediantur, machinisque conuellere multifariam. Nam etsi fundamenta Christianismi Herculis columnis firmiora sunt in vniuersum, in singulis tamen mortalibus labantis animi tentationes identidem repetunt, molestaque negocia permultaque exhibent, nisi numen adsit præsentissimum. Tanta enim fuit magnitudo beneficii diuini erga homines, vt illi cedat prorsus humanæ mentis captus, in nullo non nostrum interdum eo repetente vitio, quam apithiam vocant. Quapropter (vt inquit Chrysostomus in epistolam Pauli ad Ephesios) longè admirabilius est Christum viuentibus legem euangelam persuasisse, quàm mortuos exuscitasse: id quod validis ille argumentis ostendit. O Economiam autem ab ipso Christo administratæ, exactus intellectus eiusmodi est, vt de eo id dici possit, quod de dæmone Ægyptio Lucanus poëta scripsit, Nunquamque satis quæsitus Osiris. Tum de fide harum rerum certa, id Ouidianum non minus dicetur appositè, Semper enim perdunt, semper & inueniunt. Hæsitatio enim nostra, rei toties etiam à nobis iudicatæ quæstionem refert subinde renascentem. nec verò nostra fide quicquam eius rei promittere possumus, nisi Christus æternitatis sponsor, & Ecclesiæ sponsus, id sua quoque fide esse, fiduciaq;

fui iusserit. Et mens quidem humana atque ratiocinatio, vt mus in pice (quod prouerbialiter dicitur) in æternitatis contemplatione, in iisq̃ue conflictatur, quæ de Christo domino nostro, deo eodem atque pariter homine dicuntur: quæ de libero arbitrio, de sempiternis actis prouidentia, quos *περορισμὸς* Theologia vocat, vt inquit magnus Dionysius: à quibus ipsis vtique genealogiam illi duram necessitatis ducunt, qui liberi arbitrii appellationem nimio opere oderunt. Iure ciuili liber est homo non minus, & ingenuus, qui omnium legum nexu tenetur. Arbitrium igitur esto etiam liberum, licet ob noxam illam primordiale obnoxia sit conditione. Equidem hominem sic meritis suis, fidei fundamento nixis, saluum fieri puto, vt seruus suis nummis redemptus, liber olim fiebat. at seruus suos habere nummos nequaquam propriè dici potest, cùm nihil mancipio sibi quærat & possideat: ne homo quidem liber arbitrium habere vllius rei potest, quod non magis Dei sit, proprium, quàm eius qui habet, suum. Proinde vt iure summo conuiiente, seruus nummis è demensi sui reliquiis, confectis, ad libertatem: sic homo arbitrii sui adminiculo ad salutem æternam aspirare non prohibetur, indulgente prouidentia. Verùm in iis aliisq̃ue eiusmodi mens humana curiosius commentans, in asystata quæ dicuntur argumenta, incurrit, quorum exitum inuenire, explicationemq̃ue nemo potest. Quare in ea caligine speculationis deprehensis, quasi in æstu alternantis hæsitantiæ, opinionisq̃ue euariantis, ad sacram illam (vt iam dictum est) nobilemque anchoram *γινώσκει σεαυτὸν* respiciendum, in eaque subsidii certi fiducia secundum Deum collocanda est, vbi nullus temeritati atque errori locus est. Id quod mihi Paulus sæpe dictus. Theoprophorum Plato, admonuisse videtur in epistola nobili quam ad Romanos scripsit: cùm in Dei iustitiâ atque prouidentiam inquirere nos vetuit, selectarumq̃ue animarum, & reiectanearum iura, causasq̃ue disceptare. Neque enim analogia inter præsciētiam Dei consiliaque, & intellectum coniecturamq̃ue hominis, & oracularis elogii ponderibus, non humani sensus præiudicio, argumentationisq̃ue philosophicæ, rerum æternarum auctoritas & fides expendenda est. Mihi verò non modò curiosum, sed etiã fraudi ingenti videtur obnoxium, quod paulo antè dictum est, in ea inquirere, quæ Deus clam nobis esse voluit. Etenim multos olim mortales doctos alioqui viros & eximios, transuersos abripuit cōtentionum æstus, tuendis pertinaciter dogmatibus incōsultè susceptis. huiusmodique non ita pridē æstus, nescio quo primùm numine, an turbine excitatus, tantoque interuallo:

g. j.

vnitatem Christianismi repente secuit & luculentè: isque admiratione primū ingenti, mox etiam stupore, deinde studio non minore à multis exceptus est. Habuit enim nouitas frontem primam festiuam ac speciosam, antequā augescens peruicacia duriores in modum eam perfricare institit. Id ego cū honoris literarū causa, tū alias ob causas nollē factū: deinde isto exemplo factū, si factū oportuit, itaque in fatis fuit prouidentie: tū quorundā cum inuidia perfectū, & quoquò peruagatū gentiū. quorū vicem mediussidius vehementer dolere cogor, consiliūque reprehendere virorū ingenio doctrināque præstantium. Quid nī autē id facerē? qui ab eorū auctoritate videam imperitū vulgus licentiam mutuari: improbè quidem illam inscitēque & immaniter, sed tamen vtcunque adūbratam: tum ea fiducia ludibria religionis cōminisci ausum alia super alia, delēdis placitis antiquis sanctissimorū Christianismi Emolpidarum. Quid enim? ad summūne indignitatis non ventū est (id quod à me taceri sine scelerata præuaricatione nō potest) cū hominū coniuratę cateruę palām decuriantur ad discrimē tollendum bonorum & malorum, atrorū & candidorū, quod decus est decorque cōuersationis hominū, pignūque regnorū & ciuitatū? Est enim (vt opinor) vita iam in præcipiti sita, si pietas, si religio, ac Dei contēptio eodē loco habentur: cuius rei exempla quotidie non obscurē produntur. Hanc morū stragem, hanc Christianismi cladem, literarum bonarum ignominiā, virtutum interneccionem, cū in dies crescere, quasi que ædiū sacrarum incendiū gliscere conspiciamus, vnāque Palladiū fidei conflagrare, pignūque æternæ beatitatis: quid animi iam habere, quid spei, quid expectationis bonæ possumus? Quid verò hominū sumus duntaxat Christianorū, si his portentis, si diris ominibus, si tot prodigiis, talibūque nō permouemur, atque perhorrescimus? Atqui nec victimis cēsis procurari, nec holocaustis queunt, quas publica piāque persuasio expiabiles nequicquā esse censuit, adeo ferum vlcus est Christianismi, carcinomāque indomitū orthodoxiæ, quod nec scalpello, nec cauteri, nec remediis vllis cedit hominū, & Pæoniam modò manū poscit & manet. Miseram & exitialem huius ætatis sortem, tametsi literarum claritatis mirē instauratricis, quæ perpaucorum crimine, permultorū scelere, religione se obstrinxerit dira & inextinguibili. Nēpe quasi tersioris doctrinæ splēdor iam nimius, in caliginē atram illico Stygiāque verterit, aut rerū diuinarū prudentiæ nebulā offuderit, exortā ex Auerno, excitatāque à spiritu impotētię præcipitis & erraticæ. Imis enim summa, inferis supera, optimis deterrima, ea occasione

permixta esse, omniâque confusa, quotus quisque non speciosè dicturus est, istorum quidem certè qui literis restitutis malè cupiunt? siquidem quàm maximè hoc tempore earum studia noménque inclaruerunt: tam maxime densis in tenebris nauigium Domini sese egit, & nocte intempesta. Quin & lacerata nunc opprobriis nauis oneraria, alioquique iampridem veluti solutilis, pronâque ad naufragium, omnium oculis exposita est, inuidiosèq; traducta. Interim autem nos vectores, qui ab illis ἀμαγέλαις dirempti, pontificia familia contumeliose quasiq; gregales vocamur, stationem nullam satis hospitalem cernimus puræ & innocenti fidei atque religioni: neque appulsum certum circûspectamus, oculis peruigilibus, atque in commune excubantibus. Vela publicè libêtes pandimus cunctationi & incuriæ, priuatim sinus totos hæsitacionis implemus atque diffidentia, auras captantes interim desidîæ supinæ atque prolaticis. Quæ quo placidiores sunt, atque etiam placentiores singulis & vniuersis, eo pellaciores sunt utique, impendiôque magis noxiæ & improuisæ: & verò plurium mentes in fyrtes, in scopulos, in vada rapientes addubitaticis philosophiæ & deliberatricis. Ita est autem nata celebris nunc controuersiæ latèque patentis disceptatio, inter principes antesignanosque partium, ut hîc illîcque signa auspiciâque conspiciantur orthodoxiæ: tessera etiam insigniâque ducum, Christianismi tutelam sibi vendicâtium: cùm interim vtrique vtrosque theologos quidem esse, nō etiam theosophos dictitent. Illud verò non ita valde decorum, parûmq; adeo videtur esse rei disceptandæ congruens, quòd inde iam ab instituto certamine, rerum diuinarum cælestiumque argumentum, satyricis magis actibus verbisque, altera quidem ex parte præcipuè tractatum est, motûque petulanti, quàm philosophica grauitate, theosophiâmq; decenti. Rursum id illis eorumque fautoribus magnopere reprehendendum videtur, quòd hinc animaduersionum (ut ipsi dicunt) atrocitate res geritur sub legum auctoritate: nec perinde charitate Christi, & æqui bonique fiducia, ut quidem ipsi perhibent. Mihi verò & multis id placere non potest, quòd cùm copiis imparibus, dissonoque clamore, signa partium collata sint, in speciem æmulæ, priscae, germanæq; pietatis: vtrique etiam auspicia sua esse defendant tuendæ orthodoxiæ: momica tamen phalange atque etiam mimica impressiones fiunt, agminèque irritò pugnatur conuiciorum vehementius, quàm acie instructa compositaque argumentationum. Id genus contentionis, vel dissensionis potius ter capitalis, in ciuitate Dei exortum,

g. ij.

è re esse Christiani nominis, nobis probari nequit, omnibûsque (ut ipse reor) æstimantibus securam inde atrocitatem digladiationum, extremâque exempla petulantia facinorosissimæ. Huius tamen indignitatis solatium vnum habemus, ne vndique vita pudenda sit & detestanda. Negari enim non potest, nisi ab imperitissimis, iisdemque literis verioribus iniquissimis, exoletæ iam & sordentis rusticitatis situm (quæ supercilio semper magis quàm sanctitate censa est) planè detersum esse hoc eodem tempore, qui scripturæ consecratæ obductus, per ætates permultas exortes literarum cognitionis linguarumque, luminibus non parum officiebat scholarum huius philosophiæ. Ingentem verò rursus iactum ab illis virtutis & honestatis, è nauis Domini factum esse: stragem calamitosam innocentia atque religionis, indidem enatâ esse: quæ mens cunque hominum, quod propositum cunque fuerit ipsius nouitatis designatorum, cum nemo inficiando esse possit, qui quidem non iniquus arbiter sit prodentis se veritatis: non video in rerum nouatione quicquam tanti fuisse, quam obrem gratulari sibi vita, nedum Christianismi summa debeat. nisi verò in usum vitæ, in exultationem Christianismi, in dignitatem religionis esse potest, & mundo cõducibile, virtutum omnium chorum, quod decus est mortalitatis, doctrinæ philosophicæ summam tot sæculis comparatæ, sapientiæ moratæ opinionem nulla non memoria augustam, è conuentu, è concione Seruatoris exigisse, explosisse, cõuiciosè exhibuisse: Ad iustificæ autem fidei adumbramentum, tanquam benefactorum omnium instar, & malefactorum solum expiamentum, omnia rede gisse salutis subsidia: Excellentissimas denique virtutes, instituta vitæ præstantissima pro nihilo ducere, ut sordentis & obsoletas in conspectu Domini. Proh superi immortales, estne id animos hominum epulis accipere euangelicis & cælestibus, siliquas fallaces fidei & charitatis obuia & compitalitiæ, ieiunis obiicere: sicque lactatos homines imperitos, immunitate iusta & vacatione donare? Nam quotusquisque huius philosophiæ studiosorum, præconium istud fidei iustificæ, sanè speciosum auditu ac magnificum, non tanquam congiarium quoddam opimum pronunciatum, excipit, vacationis operum, & licentiæ omnibus numeris solutæ timoris solliciti? eamque incuriæ inertis, perditæ securitatis, somniculosæ cessationis largitionem, ita acceptam refert doctrinæ recens editæ, ut iam vitæ disciplinam, morum seueritatem ridiculam esse putet, archaismumque deliri ac Saturnii redolentem? At ii huius liberalitatis auctores sunt, operis que faciundi vacationum largito-

res, qui donatiuis venialibus, tesseriſque vœnalibus abolitionũ pontificiarum, cum assensu multorũ, plausũque primũ refragati sunt: eo tamen blãdiores (vt verum fateamur) nouarum tabularum promulgatores, quod & gratis & vberius gratiam admetiũtur, & porrò cum corollario in futurum quoque securitatis. Ecquis est autem sanæ mentis, qui causæ quicquam dicere ausit aut velit, quo minus vim illam saluificam, hominũque seruatricem, & deificam, mortalitas conscia suæ conditionis, acceptam referre debeat diuinæ indulgentiæ, non benefactis suis aut aliorum? Ecquis est porrò, quin diuinæ naturæ fidem fixam, Christi que theurgiæ, fundamentum & fastigium esse cēseat spiritualis ædificij, quæ sedes est regni Dei? Sed tamen hæc ipsa fides, virtutum omnium sanè princeps, illarũque præsultrix & chorodidascalos, serie earum ipsarum & recte gaudet, vt comitatu sibi consentaneo & congruēti. Quin & chorum illum suum, gestamine crucis insignem & venerandum ab inertia & segnitie vindicans, munificem esse docet, ad functionesque vitæ obcundas instituit ad modos hieropsaltæ: qui non intus sibi que tantum ipse, sed extrà etiam atque omnibus cecinit. Hæc insignia, hæc decora, hos ritus religionis, si è ciuitate Dei persuasio gētium sustulerit, si mores antiquauerint, quid erit tum postea Ecclesia Domini? Nimirum officina quædã amplissima perditæ licentiæ, effrenis voluntatis asylum, vel libidinis potius, taberna voluptatis plena lenociniorum, cõtubernium, collegium & sodalitas omnium vitiorum. quem ad finē haud dubiè huius philosophiæ studia spectant & manifestè vergũt, etsi alium ipse fuisse scopum eorum non dubito, qui primũ hanc nobis telam ordiri institerunt. Quocirca hæc & alia his affinia acerba commentatione scribens, cum populo me agere testor imbuto perperam hac doctrina, cum eiũque proteruis absurdisque defensoribus: non item fortasse cum auctoris ipsis & nouarum rerũ molitoribus. Quos mediussidius ipsos in maleficiorum inde quotidie nascentium reatu magis esse & inuidia, quàm in causa culpæque scelerata, per me licet vt omnes existiment, eorum sententiam, magis quàm verba attendentes. Idque expugnari forsã posset, aut defendi, duntaxat quadam ex parte rerum, ad subsellia, aut in senatu prudentiæ, neutrà in partem procliuioris, tametsi vtrinam ipsis in mentē non venisset: aut certè cautius fecissent & modestius, vt ex atrio Domini sacrosancto taxiarchiam tollerent, decus rerum & dignitatem, sacrarum æquè ac profanarũ. Quid enim oculis vel orchestræ, vel ordinum, vel caucæ denique sobriæ & paulo

g. iij.

honestioris, approbare sese potest, in quo non sua constet ordinum ipsorum graduúmque descriptio ex qua maiestas orta est? Qua cum ipsa (vt inquit Ouidius) confedere simul pudor & metus: omne videres Numen, ad hanc vultus composuisse suos. Híc enimvero reclamatu- ros scio quosdam, atque hoc, illud, aliúdque speciosè excusatu- ros, & verò vltro fortasse accusatu- ros: quasi meam hác litem faciam priuatámque, hac ætate, contráque meum institutum, & præfertim eiusmodi litem, cuius nec disceptator esse iure meo, ne disputator quidé possim. Sed tamen quid agerem, nihil minus mihi meditati euénit, alióque iter contendenti, vt ad ruinam veritatis, ad incendium sacrorum, ad naufragium religionis disciplinæque salutaris, occurrendum mihi esset, opellámque conferendum qualem- cunque. An autem facinus istud auspicantibus vel fiduciæ vel audaciæ, celestis ausis, sancta ac sanctifica addixerit (vt augurali sermone loquar) Deus optimus maximus, iam iam ostensurus est, vt libens coniicio: cuius numinis est vnus, auspicia rata irritáve facere omnium inceptorum. cuiúsque admirabilis prouidentia beneficio, res malo exemplo cœptæ, exordióque non probabili, vt quidem est iudicium mortalium, bene interdū ac feliciter eueniunt cum stupore ipsorum. Exierunt nuper libri quidam bonis (vt speramus) auibus: mihi quidem certè lætis, qui penè neutrò propensius antea auspicari institueram, cum de cælo seruarem pro meo instituto, attentè satis ac sollicitè. Hi cum in manus meas hæc prodentis incidissent, forte quadam oblata, non quæsita & rogata (neque enim contro- uersia inter doctos agitata cognitor esse accuratus cogitabam, & succisui temporis tantum lector iandudum esse cœperá, non modò commentator) Verum eos libros percurrere mihi cum contigisset, primū ea de re homines non leuiter amare cœpi, alterum præfertim à quo nunquam animo alienus fueram ob ingenium hominis doctrinámque eximiam, etsi à studio partium illarum nō nihil dissidebam: deinde nobis literis que gratulatus sum, quòd res contro- uersas spectare ad concordiam quadamtenus existimaui: siue illa futura est multo æquior conditio dissensionum, & expiabilior. sedatioribus tantum animis opus esse mihi visum est: stomachis que non ita crudis vtrinque. Hactenus impetu & clamore & præcipiti impres- sione res gesta sit, quandò ita res nata est: placidioribus iam modis argumenti tanto interuallo reducti agenda est tragœdia, si quidem est peragenda. Est autem eius generis argumentum, quod vtroque versus fœcundè tractari, & facundè etiam possit magna quidem ex

parte: sed vtinā tranquillè quoque ac composité. id quod tum demum futurum est, cū modos ipsis actoribus fecerit æmulatio digna Christianismo. In causam vtrinque insignes ac numerosæ aduocationes subscripserunt: illinc tamen plures studio præcipiti aut inconsulto. In illam etiam partem nostrorum hominum transitiones, meticolosè quidem illæ atque mussitabundè, sed tamen crebrò factæ sunt, & tanquam palabundè. Vsq̃ue adeo quædam sunt sic à communi persuasione auersa, vt tamen ea controuersa fecerit festiua nouitatis facies, quæ aut erronibus animis, aut volucris mirè lenocinatur. cum eo quoq; quòd illinc copiarum ex euocatis ac volonibus conflatae sunt, quæ ad pileum insolitæ libertatis & inauditæ cupidè conuolauerunt. Mihi verò cum non paucis id permolestum fuit, & simul periniquum esse visum est: quòd literarum bonarum opinio nostrarum iuxta atque peregrinarum, in inuidiam vnà quoque cum inuisis dogmatibus, in discrimenque vocatae sunt eam ob rem, perinde vt in crimen. siquidem quàm maximè hîc visa est feruere contentio, atque illa ex parte per occasiones passim eualescere (aut casus enim temerarius interdum, aut hominum culpa victoriæ impotentium, hîc quoque quodāmodo *ἡμὲν ἐτεροαλίεα* fecit) tam maxima flagrauit inuidia ad populum primorésq;, literarum splendor restitutus ac rediuius. O quàm iniquè iudicium sensus communis vel natura vel moribus comparatum est. Verum huiusmodi studiorum erat nostrorum conditio, iniqua quidem illa, ac tantum non pœnitenda, sed tamen vt sperare meliora liceret ac lætiora. Ecce autem (pròh Christe splendor diuinitatis, decus humanitatis) facinus, scelus, nefas, literis ipsis ex æquo penè indignum & importunum, non vernaculum quidem ipsum, neque nostræ fœturæ: sed importatum audacia proiecta, vt mihi cōpertum est: cæterum ætatis nostræ probrum olim futurū, nisi diuina benignitate verterit in clausulam malorum: id quod sperare ipsi non de nihilo cœpimus. Nobis igitur hæc scribētibus, hydra quædā cæcæ ac vāsane peruicaciæ, quæ in tenebris alebatur, in hac vrbe repente, aliisq; multis nobilibus in oppidis extitit ac prodiit: factionisq; inuisæ ac lucifugæ, pleræque literarum ignaræ, corda, sensus, ora, sic insanè, sic dirè peruagata est, vnus vt & alter Hercules, claua, ferro, flammæque rem gerentes, satis esse non possent, si superstitēs essent, tetro ac multiplici monstro, plurimorumque capitum, conficiendo & extinguendo. Etenim coniuratae impietatis dirisq; deuotæ homines, scelus ausi confidentius, quàm illi quondam Athenis Hermarum accifores &

g. iij.

demutilatores, eadem nocte cōdicta compluribus in oppidis, iisque disiunctissimis, ex composito, & veluti eodē furoris signo sublato, proscribere sustinuerunt, edictisq; maledicis configere, decus & columnen pignusque Christianismi. Et furialis quidem ille genius, cui ne Christus quidem ipse seruatura hīc fungens, omniūque imperio præditus, ita fuit sacrosanctus, quin eius innocentiam tentaret numeris omnibus absolutam, nuper ad sacrosancti charisterii maiestatem non modò imminuendā, sed etiam obterendam accinctus & proculcandam, inuenire potuit qui manus conscelerare tanto piaculo non vererentur: nempe temporis conditionem nactus prope modum fide cassi, mundo nihil minus agente, quā ea quæ antiquissimæ fuere curæ sæculis melioribus. ac post Triumviratum quidem illum morte è medio sublato, qui ad errorem antiquum de nouo asserendum ab ipso designatus fuerat, supparis audaciæ complureis alios substituit, qui prouinciæ succederent flagitiosæ eadem peruicacia. Gliscente deinde scelerum profectu ut natura fert maiorum, Aium quidem illum loquentem, sed Stygiū allegauit, è sinu suo productum, appositissimum emissarium ad enecandam fidem Christianismi, in ea prouincia in qua maximè valere adhuc orthodoxia vigeretque videbatur. Ut breuibus absoluam, post sollicitationes multas, variāsque hominum nostratium, quasque iam labantibus animis complurium, repente Aium Locutium è faucibus Orci excitum, diris ipsis sororibus diriores, in ora populi inhalauit gentilis Christianismi, recta & sincera religione imbuti in vniuersum, ut qui maximè diceret crapulam quādam Ditis patris esse, Mephitim eructantis prodigiosæ ac piacularis impietatis. In præsentiaque sollicitudinis publicæ summa, in eo erat præcipuè occupata, ut gens sanæ persuasionis alumna, extinguenda catharmatum multitudine, atque è medio omni ope summouenda, quasi manu quadam Orci emissaria, gratiam à Christo Seruatore ineat expiabilem, cuius maiestas paucis hebdomadibus læsa fuerat scelestissimè. infauit hospitalitatem impietatis translatitiæ, quæ eam contagionem attulit. O quā nā satis terra discedere, quod chasma dehiscere illis Triumuiris potuit, ne nominatu quidem dignis: eorumque mox hypodidascalis poterit, nisi citò resipuerint? quod equidē non despero. Itāne verò Herculis ærurnarum instar fore sibi putauere æquales nostri mortales, sollicitasse inferos ad dogmatis eius monstrū in lucem de nouo reducendū? Quæ (malum) tanta illis esse potuit philosophandi commentandive infania? Siccine huius ætatis philosophiā feriatam

esse infelicitè, & vitæ exitiabiliter, vt in ritus rectè atq; ordine conditos, augustarúmque ætatum consultis comprobatos, inquirere ausi sint perpauci terræ filii? Siccinè ἐρεβδιφῶντας (vtar enim verbo Aristophanis) omnia rimari iuuat, vt sese humo tollerent homines pumiliones, vt Herculis & Liberi, nostræ memoriæ æqualium, terminos superasse famámque viderentur? Ex eorú autem aliorúmque curiositate nimia & audaci, errorum odyssæa primum Christianismo, deinde scelerum ilias & piaculorum enata: quæ cælum terræ miscuit, & chaos penè reduxit. Exiit ita pridem ingenii mediocris homo, qui cupidine gloriæ accensus, cæca & præcipiti, ne ad Musarum conuiuium venisse ἀσυνβόλως diceretur, symbolum attulit commentitium, quod à magistris suis acceptum hominibus absurdissimis, longo vñ suum fecit: longè futurus vtique felicior, si vmbra tantum esse, atq; ad epulas venire philosophiæ, a symbolos maluisset & inglorius. O mores huius ætatis. Hancinè amentia? Huncinè prudētiæ communis ac publicæ contemptum? Itane verò homines vagrandes, cum sese in tragicam proceritatem cothurno sustulerint arrogantia, in cælum arietare verticibus audebunt insanissimis? sanctissimarum ætatum prudentiam atque doctissimarum, compellare vt deliram scriptis suis non verebuntur? Atqui præclara illa scripta, pigmentis inanibus iudicium hominum fallentia, quæ Saturno consecrassè se putauerūt, Vulcano quotidie magno plausu dedicantur cum eorum professoribus. Quin & vno edicto omnibus in prouinciis, primo quoque tempore animaduersionis diuinæ, aut sensim fortasse, conflagraturi sunt per resipiscentiam publicam. quæ aut futura est vtique ipsa propēdiem, aut ad extremum actum fabulæ rerum humanarum ventum est. Id quod significare videtur conuiuens in hisce facinoribus, vel conuiuenti similis potius, ludorum ipsa seriorúmque inspectrix & præses prouidentia, locorum etiam personarúmque designatrix: & verò omnium vt potens & moderatrix, ita rectè ac secus actorum ac consultorum arbitra peruigil, & æstimatrix. Quisnam igitur furiatarum concionum, quis perditarum coitionum nefas præstaturus est? quis porrò pessundatæ & conuiciis conculcatæ mysterii mysteriorum reuerentiæ? hoc est enim quod magnus Dionysius τελετὴν τελετῶν appellauit, quasi piamentum piamentorum, sacramentum sacramentorum: & Synesius ἀπόρρητον τελετὴν, id est sanctiorem expiationē & reconditiorem. Egregii verò philosophi, atque de literis sacris æquè ac profanis meriti, qui ne nomenclatori quidem (vt aiunt) in patria antè noti, etiam

inclarescere huiusmodi docendis tragædiis, vbique gentium, concupiuerunt & sperauerunt, etiãne cùm scenam in diuersum verterent theologicæ sapientiæ? etiã cum offensione tercapitali ad superos mortaleisq̃ue offensuros se viderent? O diram vœcordiam. en rerum humanarum diuinarũque magistram philosophiam: en disciplinam, fidei & charitatis Dei, tertio quoque verbo commendatricem: numine (credo) grauidam paracletico, quæ nobis pepererit dogmata huiuscemodi. Et cùm nefastæ illius doctrinæ promulgatio repagula fregit reuerentiæ Dei: tum commentarii licentiosi, alii super alios certatim elucubrat, ad vltima impietatis exempla, diuinarũque rerum contemptiois, quamplurimos perduxerunt. Ius & fas vnà cum Dei metu deiecta sunt passim è vitæ priuatæ gubernaculis, ex quo licentioris religionis patrociniũ, viri docti suscepisse visi sunt. Priuatę vitæ dico? quid si etiã multis in locis publicæ? Cedente enim ex Ecclesia Christi rituum priscorum disciplina, ceremoniarũque receptarum opinione ab istis exhibita, concessit vnà quoque fides, non è foro tantũ vœnaliũ, & è nundinis, sed etiã è præcordiis hominum: nempe quasi decoctrix pollicitationum domini. Est autẽ hic ordo rerum atq; processus, vt licentiam istam, solutam legum canonicarum vinculis, & cultus immunem religionis, euestigio sequatur cauillatio prouidentię, cum incuria salutis: quod luculenta docuerunt experimẽta. At verò in primis id rancidum est auditu ac putidũ: quod tacere non quui prorsus cùm maximè cuperem. Nam fides & dilectio euangelica, augustæ quidem illæ virtutes, omniũque virtutum longè principes, cæterũ hac ætate, his moribus, his hominibus, non nisi de nomine cognitæ, benefactorum omnium, institutorũque egregiorum splendorem, vmbra quadam nomenclaturæ, vt ampla in speciem ipsa & vendibili, sic euanida reapse & futili, obscurauerunt. his enim vocabulis sanè plausibilibus ac sonantibus, commentarii farcti sunt aliquorum, ad fastidium vsque aurium, offensionẽque lectorum, cum eleuatione improba & propemodum scurrili humanæ virtutis & iustitiæ. Ita vitiorum omnium colluuiõ, scriptorum verborũque impudentię, & graueolentiæ dogmatum, quæ nullum non paulo sagaciorem offendit, Minerua (si diis placet) pep̃lum suum obtendere non grauabitur? In quo pep̃lo virtutes illæ primores solæ iam attextæ sunt, vel verius prætextæ, magna cum inuidia literarum elegantię, cùm nostræ, tum peregrinæ. Nam (proh Dei hominũque fidem) quis fauere iam lingua, quis

temperare stilo possit in tanta indignitate sacrorum pollutorum? Indignitatem dico? Quid si autem ad vltimum ventum est discriminum? quippe cùm de aris, de focus sanctioribus, de templis Deo sacratis dimicandum sit? de pignore denique immortalitatis beatissimæ, & tanquam de palladio Christiani nominis periclitandum? Sidera quis mundùmque velit spectare cadentē, Expers ipse metus? quis cùm ruat arduus æther, Terra labet mixto coëuntis pondere mundi, Compressas tenuisse manus? Vel quòd Theodidactorum appellatio ætate deterrima nata est, ac nullo metallo digna, mundo in nequitiam, in perfidiam, in diuinæ sponsionis diffidentiã, in nihil non erroris denique vergente & præcipiti, in nullum non nefas intrepidè ruenti: eccui hoc tandem stomachum non moueat, qui quidem ipse fibras corneas non habeat? Nostriſne moribus credemus euangelæ legis mysteria, benignius esse quàm antiquorum liberaliúsque credita? familiarius & simplicius aperta? at verò priscae sanctitati, tanquam rusticiori, quamlibet rerum mirificarum designatrici, operta illa fuisse, aut ab oculis auersa? Cur igitur Christus sui ac veritatis testimonium capitale, eorum sæculorum animis denunciauit, si de arcanis altioribus celatos illos voluit? Mirum verò nisi perpaucis hominibus nuper credimus, sanctissimis (credo) antistitibus theosophiæ, datum esse diuinitus, vt figuras, vt tropos oraculares intelligerent penitus, vt diuini iuris nodos soli, vt legum ænigmata soluerent, vt ratarum irritarumque legum discriminem certum tenerent: denique vt ceremoniarum ritus, ecclesiæ domini effata prærent solennia, quæ maiores illos olim maximósque præterierunt. ætas igitur nostra Θεοδιδάκτους sapientes edidit: superiores omnes ætates homines ἀντιδιδάκτους, eosdémque λιποδιδάκτους. vitam credo, Deus ἡμῶν esse voluit, quæ sero demum temporis nouissimi ac præcipitis, theosophiam cognouerit. Scilicet is superis labor est: aut fuit heri primùm aut nudiustertius. Theologici senatus conscriptos spiritus Dei paracletus germanam paulo antè docuit rationem colendi sui, ac promerendæ gratiæ celestis & viuificæ: ad eam autem maiorum olim gentium patres, quamlibet vitæ sanctimonia memorabiles, aspirare non potuerunt. Vel hoc quis non credat, qui huius temporis instituta, qui vitam, qui zelum æstimarit hominū inclarescere quoquo modo cupientiū, ne dicam cacozeliam? At enim non magistrorū hīc crimē, sed discipulorū coarguimus: operā suam ipsis odioſè veditantium, & verò inuitis atque respuentibus, hieronicarū præmia, olympiæque vincentiū, cum improbè, tum verò inuidiosè decernentiū.

Esto sanè: hoc crimen sit turbæ ineptè assentatricis, & tanquam
 operarum quarûdam vilium suffragia sua nummo sestertio addicen-
 tium. id enim mihi libens doctrinæ hominum merito persuadeo.
 verùm eo saltem nomine in culpa sunt ipsi non leuissima, quòd fu-
 turum rei euentum prouisum habere perspectumque debuerunt.
 Atqui vel id fuit recordandum, quòd cùm carceribus sese effudere
 quadrigæ, Addunt in spatia, & frustra retinacula tendens, Fertur
 equis auriga, nec audit vulgus habenas. Nam quis iam nauem retro
 inhibeat, quæ fertur in scopulos, cùm remiges obsurduerunt? cùm
 vectorum plurimi seruari nō cupiunt? Tum illud extemplo occurrit
 hæc cernentibus, neque extemplo tantum & confestim, sed etiam
 ex Ecclesia conferctim, καὶ κόρακος καὶ ἀνδρῶν, quod prisco sermone ce-
 lebratum est, in discipulos huiusmodi. Turbæ igitur ingeniū, æsti-
 matum oportuit, quæ cursim in eam sententiam ire pergit, cæcæque
 & præcipiti ferri cupiditate, quam satis constat non tam secundum
 libertatem pronunciatam esse, quàm secundum licentiam vindicias
 dedisse legum metu solutam humanarū iuxta diuinarumque: aduer-
 sus quod censuit prudentia memoriæ consecrata, & venerationi
 semper habitæ. At eius vnus auctoritatis fiducia, magna hominum
 multitudo, benigna & liberalis interpret eorum quæ scripta sunt de
 iure immunitatis Christianismi: πόρρω ἔφθι ἐπιτηδεῶσα ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα,
 vt est in prouerbio, Pròh superi, rem præcipitem (identidem enim
 rapior in stuporem) rem nouitatis inaudite, & fortasse omni ope pro-
 curandæ, quàmque propter lustrari ædes Domini ciuitasque san-
 ctissima debeat. Nimirum aut finis rerum adest, aut censura ista vel
 noua vel rediuiua quadam ex parte, tam multiplex, tot capitū, tanto
 interuallo denuo nata, breui interierit, aut stili sui modum valde
 temperauerit. Vnāne litura deleuerit, circumscripserit, obliterarit le-
 ges, ritus, mores, vsus, in communi sensu vitæ, in prudentia tot æta-
 tum inustos? veterrimæ sapientiæ subscriptione elogióque compro-
 batos? Per me quidem esto, vt quædam circumscripserit vt superua-
 canea, quædam vt obreptitia præterierit, nonnulla vt spuria notarit,
 siue conuiuētibus illa, siue somniculosis obrepserint religioni tem-
 perandæ præfectis, ne quid durius dicam: Sensum etiam ipsum cō-
 munem circumspectiorem in modū acriorémque conformauerit:
 superstitione porrò futilium ceremoniarum, aut emortuorum quo-
 rundam rituum homines non imperitos soluerit: quæ hæctenus ob-
 strictam passim tenebant communem etiam prudentiam nexu o-
 pinabili, atque inueterato. Hæc atque alia quædam huiusmodi per

me licet, & per multos, vt nō modò festiuè ac plausibiliter fecerit, sed etiam commodè ac commendabiliter. Quòd autem blandiente incepti plausu, ad viuum altius sensim atque altius stilum suum sic impressit, aut impressisse certè videtur, Christianismi vt disciplinam non tam ad disquisitionem senatus cōsultorum hominum doctiorumque vocarit, quàm momici eam conuentus tabellis subiecerit: id verò intolerandæ est confidentiæ atque iniquitatis, si qui tueri velint: capitalisque adeò erroris, si qui auscultare illis obstinauerint. Nisi verò Deum ingenia tot ætatum, nisi annorum sexcentorum sapientiam, & verò altero tanto maiorem tarditatis damnasse credendum est, sic excordis & stupidæ, comprehendere cuncti vt nequiuert vim verbi euangelici: vnum autem & alterum tantū nostros æquales, intelligentiæ puræ restituisse suam contrā sententiam, qua sententia cætera multitudo cultrix Christianismi, eiusdémque alumna, tam grauitè ad hoc æui mulctata est. aut nisi seculi deterrimi philosophiæ prouidentia, veram, meram, & (vt aiunt) ipsissimam sapiētiā, familiariter & indulgenter ostendit, vt æmulæ fortasse supra alias fidei apostolicæ, aquisque (vt ita dicam) inambulantis, & priscae sanctitati, insignibusque capitibus Christianismi, inuolutā ipsam edidit, vel imaginariam potius exhibuit spectandam & ludificatriculam. Acta (credo) hominum mirifica, vitæque exemplaris, fidem multitudini facit eorundem doctrinæ numine præsentissimo sanctæ & consignatæ. Felix profectò seculum, si ita est: illique ipsi homines deliciæ sunt Domini: neque ii quidem modò apud Deum gratiosi, sed eorum plerique multo magis discipuli: quippe qui omnibus penè numeris immunitatis donati sint diuinitus, vt quidem audimus, & interdum vidimus plerosque interpretari: quanquam ætate ferrea terrigenarumque nati: macti quidem illi cælestis priuilegii promulgatores, iuris diuini interpretes, blandi & populares. beata verò vasa Domini, sic à prouidentia electa: queis haurire solis liquidam illam aquam datum sit è puteis consecratæ sapientiæ, quæque post annos plus mille ac ducentos capere prima potuerint sensum, vsum, & fructum manantis inde doctrinæ. Et anchoram, si diuis placet, Christianismi, cum ecclesiæ Christi iactatæ & fluctuanti, tū fidei labefactæ & charitati Dei iam cōclamatæ, nouæ istius philosophiæ axiomata iecerūt: quod eorū quidam sentire, scribere, dictitareque videtur apertissimè. At hæc tamē disciplina, quālibet sanctæ familiæ mater atque religiosæ, thiasum tamē vnā quoque peperit, in theatrōque edidit, Satyrorū Eleusinia venerāda irridentiū,

h. j.

audacia sanè impia & detestanda optimæ partis mortalium opinione. O malè, ô absurdè, ô intolerantissimè factum, quod paucorû causa doleo, hominum doctissimorû eorundemque dignissimorum qui ingeniorum suorum specimina cõmendabilius ederent, publicèque fructuosius: quod fortasse facturi sunt, cùm Deo visum fuerit Vertunum illum abditum circumagere prouidentia. Pulchrè exorsam esse relam noui operis, in sermone erat hominum, atque etiam opinione: cornicum statim oculos confixisse doctrinæ nouæ acumen ferebatur: at mox blandiente prætextatorum quoque ac purpuratorum plausu, modum tenere ardor animorum oblitus est, ut est mortalium ferè natura comparata, cùm quidem Marte suo potius instincta est ipsa quàm diuinitus. Sermonis autem impotentia plurimum quidem illa offensionis habuit: sed eorum præcipuè culpa, actorum sanè ineptorum, qui Mimo subseruientes, partem quidem non cõtemnendam iucundo aliquandiu multis & plausibili, dum coryphæis suis succinût, summa proteruitate vocum sententiarumque vsi sunt, & exquisitissima. Id enim non modò magnum frigus attulit dramati noui operis: quod pulchrè steterat re calet: sed etiam puncta multa, eadèmq; classica, in summam causæ detraxit. Accedit quòd factiosum vulgus, occultarum concionum cestro vel coitionum potius extimulatum, vehementius flammam aluit inuidiæ, faces alias super alias suggerens patrandis eo nomine facinoribus. quæ flamma cùm apud nos casu magis nescio quo consedissee, quàm inopia materiæ putaretur: (quippe factionis studio non obscure inualecente, minùsque in dies ac minus criminose) inuidia suppressa aliquandiu, nocte vna erupit magnum in incèdium, nihil minus expectantibus: quo euènit ut plures in securitate acquiescentes, partim deprehensi sint, partim semisomni euaserint, ac non nihil ambusti, ex incèdio tumultuosissimo. Iàmque nobis hæc prodentibus, multitudo non cõtemnenda Vcalegontû, nò tantùm eo casu flagrare inuidia, sed etiã flâmis cõflagrare, quod doluimus, cœperat. plures enim sceleris conuicti fuerût, nec tamen nisi ad extremum confessi, quàm pro opinione hominum ac fama quæ præcesserat. ut nisi præsentissimo numine, atque præter expectationē hominû detecta esset coniuratio, & patefacta in ipso tēporis articulo, res non ad dissensionem tantùm ciuiû de re summa Christianismi, sed ad direptionem & cædem mox spectare videretur. Maledicorum autem partim, malefici quoque esse ita affectauerant, ut proscribendæ passim orthodoxiæ, configendique verbis & maledicentia libellari atque progrāmatica,

sanctissimi crusti & consecrati, partes sibi depoposcerint: non contenti tacita atque ignaua sceleris conscientia, nisi tragico facinore piacularique admissio, pariter quoque cum animis manus arsuras consclerarēt: sicque multitudinem eundem in furorem traherent. partim etiam eorum viam in cælum inferum affectauerant Herculis OEtæi Calanorūque exemplo. Cæterum utrosque pœnituit, puduitque ad extremum, elatæ funere religionis probæ quantum in ipsis fuerat: id quod ipsi testari certissime possumus, quos vehementer misertum est hominum pœnis exagitationum temerata, & compellata capitaliter, perque compita traducta, victimæ, Dei verbo consecrata. Illud vix dixeris indignumne sit magis, an ridiculū: quod homunculi permulti non planè trientales, in partes descendere feroculè instituerāt, vel ascendere potius: atque in digitos erecti, sic causam totam complecti, ut hoc vno ingenii sui documento, sibimetipsis viri magni, stultis etiam hominibus aliqui esse viderentur. Iam dudumque vel pridem hæc ratio cœperat esse inter alias celebris ingenium & industriam proferendi, in mediūque prodeundi, hominibus præsertim literarū nesciis. quos rhapsodos paucis mēsis, an diebus? fieri moris erat locorum scripturæ communium, in libellis decantatorum in dies aliis super alios exeuntibus, hosque pensiles circumferre cum pugione solenne erat nebulonibus, aut in loculis tunicarum conditos, sicunde metus erat. horum autem ilias nobis orta est paucis annis, atque huiuscemodi inscriptionū, quas propter vadimonia deferri possent, quod olim Plinius dixit. Equidem doctorum causa auctorūq; nollem factum, chalcotyporum ut officinæ vacassent libris vernacula lingua scriptis, passim editis ac publicatis. id quod eorum refert maximè, qui meriti sunt in primis, ut tanquam insignia familiarum enumerentur huius philosophiæ, qualis est illa cunque. Nam veluti tractata notam labemque remittunt Atramenta, ferè lectores crimine fædo Splendida scripta linunt, aut si malunt ipsi, candida. quanquam & latius multa leguntur, quæ criticam manum poscere doctiorum ac prudentiorum existimantur: notamque spuriorū manere indignorumque germana familia. Aduersariarum quidam partium, quanquam non admodum ille quidem atrox causæ inimicus in summam, ut præ se ferre videbatur: sed ridiculis gaudens, cauillando aiebat, è semine nouarum rerum iacto nationem quādam Thaumantidarum extitisse protinus. sic enim appellabat, qui stultorum admiratione magis, quàm suapte vi creuissent. in quorū disciplina, fluxa tantum

h. ij.

esset & euanida veritatis species, religionisque probæ scita magis & vendibilis, quàm rata & probabilis adumbratio. simul fidei & charitatis simulachra mogno grammata, ideis haudquaquam solidiora, non aliter atque in ea cælesti specie, quæ Thaumantis ob id dicta est, oculorū ludibria pro veris rebus cedunt, apud homines quidem naturæ rerum inscios. Hæc hominis forsā cauillatoris verba videri possunt, vel causæ magis inuidiosæ iniqui, quàm animi è sententia loquentis, quod quidem ad aliqua pertinet, ad aliquosque eorum. & fateri tamen oportet vel defensores ipsos patronosque nouitatis, vnus & alterius mortalis fiducia (siue illa fuit confidentia, vt plurimi censuerunt) prodito audaciæ exemplo, mentem, linguam, stilum, temeritatēque factiosæ multitudinis, soluta passim fuisse liberatāque prorsus Dei reuerentiā atque religione: vnāque effrenatam esse proteruitatem morum, petulantiam & lasciuiam. Quare in sæcula non ituram auctore tantæ nequitie philosophiam, omnino credibile est. sæcularem enim patientiam huiuscemodi rebus prouidentia non solet accommodare. At enim, hæc ego nunquam mandauī, dices olim, nec talia suasi. Credo equidem cordi tibi hæc nunquam fuisse, quisquis es literarum sacrarum studium candidè prosecutus: plurimosque doctorem ita opinari arbitror. nemo tamen non illud statim excusanti intorserit ipsi auctori, si quidem secum agi placidè patiatur. Mentis causa malæ tamē est, & origo penes te: quippe qui elementa prima condideris, vnde fanaticū vulgus axiomata prima mutuatum est discipline impiæ & detestandæ, quæ discendo quoque in dies dirior fit, & putidior. Iam verò quòd viris bonis, doctrina & facundia claris, lautāque Musarum suppellectili copiosis & ornatis, in concionibus inuidiosè, in consiliis penè criminose obicitur: quòd homines his ornamentis nobiles, ad labefactanda orthodoxiæ placita accincti sint: quòd sobrii ac meditati, subductaque (vt aiunt) ratione, pessundare religionem priscam, ritusque antiquissimos tentarint, atque probatissimos: succincti & freti linguarum cognitione: id tandem non viderint ipsi quòd pertineat? quòd gentium, quòd errorum, malorumque euasurum sit, nisi obuiam mox itum sit consensu literis incūbentium? si quidem togata multitudo, prætextatorum ordo, atque senatorius, holosericatorū denique natio, & cohors torquatorum, despuere literarum elegātiā perrexerint, vt cōtaminatam errore translatitio? Quorsum tandem? inquit. Nempe vt iubere actutum atque vbique necesse sit, literas ipsas valere cum peregrina eruditione, errorum importatrice mul-

titudinis opinione, atque etiam paucorum ac procerum. Quotus enim quisque in iis iam studiis acquiescere in animum inducet, quæ populi præiudicio, optimatum assensu, decretis criticorum damnata esse viderit, atque in exilium acta? At verò hoc consilio quid abruptius? quid nobis deploratius? quid ingeniis præstatoribus calamitosius? quid vitæ denique damnosius esse potest, & exitius? Proinde si semen à fruge, si semetis à messe cognoscitur, si ab euentis rerum consilia huiusmodi æstimanda sunt: quàm auspicatò susceptam esse rerum nouarum molitionem, quibus omnibus exorsam esse telam istam ac detexam dicemus, quæ plus atrocis contentionis attulit Ecclesiæ, stragisque religionis, quàm illud olim malum discordiæ Ilio ac Troianis importasse, Græciæque dicitur? Et sic quoque natum heri ac nudiustertius Euangelium aut in medium primum allatum nos credere oportet, quod ille Triumuir scripsit, multique subscripserunt? Scilicet Lucina nascentis denuo veritatis ac sapientiæ fuit, doctrina enata Stygiis ex oraculis. Nam quæ putemus alium quàm tenebrarum antistitem, choragum eius fuisse fabulæ, quæ Titanica magis impietate, quàm tragiæ interpolatæ mægonio nobilitata, à cuneis paucis assensum, à plurimis abominationem retulit? At is tanquam philosophiæ salem sese cum suis illis nobilibus collegis attulisse gloriabatur, ut quidem colligi ex eius verborum arrogantia potest: Deique & hominum fidem identidem implorabat, quod philosophiæ studiosi respuerent eum salem ut noxium & venenatum, quem ipse & candidum, & theosophiæ priscæ probatum videri contenderet: & verò è Seruatoris mensa epulæque petitem. En animam & mentem cum qua dii nocte loquuntur. En condimentum, quo natalem Euangelii recens nati, celebrare philosophia debeat. O insanam & capitalem philosophiam, iugulati iandiu dogmatis exuscitatricem: quæ non modò res ancipites & olim controuersas, Academici moris venia disputare, sed res etiam præcipientes & nefarias constituere & decernere ausa sit. Huiusmodi est igitur hominum sapiëntia, qui Ecclesia antiqua disturbata, nouam edificiis spiritualis rationem nobis informauerunt: quam ad normam ex legis licentiæ, ad regulam Lesbiam, & pro cuiusque libidine temperandam, vel deprauandam potius, ad perpendiculum denique exegerunt ventis omnibus agitatam, euariantium dogmatum ad arbitrium cuiusque legislatoris, legis & prophetarum interpretis perditissimi. Est autem operæ precium commentum attendere Stygii machinatoris: & simul exordium & omnes actus fabulæ, quæ à focii

h. iij.

facie prima & comica (vt ita dicam) fronte, ad cothurni non dico grauitatem, sed atrocitatem diram erupit. Homines enim nouandarum rerum cupidi, paulatim id fecerunt, vt sponsam Domini primum, parentem vnicam Christianismi, eiúsque clientelæ in fide Christi positæ, veluti iam anum ac senio delirantem, iugulare instituerent suo sibi gladio, (vt solenne est ferè impiarum factionum conditoribus:) id est verbo diuino, sursum deorsumque versato, Ecclesiæ auctoritatem placitæque abrogare. Deinde matrem sibi aliam vt adoptarent moribus suis appositiorē, quam veram Domini patrem esse delictamque contendentes, ex ea Dominum ipsum Christum non liberos suscepisse statuerunt, sed obnoxie mentis seruos, nexæque vinculis duræ necessitatis. cæterum eosdem immunitate præditos operis faciundi, acquiescere in cubili iusserunt fidentis Deo securitatis: in dilectionisque complexu inanis & euanidæ. Ex hac prole, τῇ θανυμανιδῶν alia rursus enata τῇ φιλοσυμβόλον deterior natio, ex iisque mox ἡ τῇ μισευχαρίσων prognata, tanquam ex aspidē vipera. Porro autem si perrexero, vereor τῇ ἀδείων nationem ominari: καὶ τῇ μετεσωματικῶν, qui & μετεμψυχωματικοὶ dicti sunt. O fidem perditam. Videant obsecro, videant (inquam) etiam etiámque, qui præmium sperauerunt tyrannicidii, ne in inuidiam eis spes euadat odiúmque parricidii. Nisi non est parricidium, diuorum ipsam matrem de cælo detraxisse, vt est Latine loquendi cōsuetudo: de gradu (inquam) dignitatis, existimationis, & maiestatis, Ecclesiam Dei patrem deturbare voluisse. Vide quid promouerit non paulo curiosior in ritus inueteratos inquisitio. nam dum in spóse Domini mores à crepundiis eius inquirunt: dum gemino (quod dicitur) ab ouo exædificationem Ecclesiæ Dei repetunt, paulo ἀναλύειν ὥτερον vtique philosophando, religionē Christianismi ad chaos reduxerunt Academia. & dum operis expolitionem detergent homines (vt videri volunt) anthypocritæ: velut ornamentum ascititium ac religionis lenocinium: operis ipsius compagem symmetriamque dissoluerunt. ita fit, vt qui se solos cum familia sua, in filios Dei adoptauere, quod ex eorum scriptis apparet, dæmonidæ ipsi permultis Titanumque gentiles magis esse videantur. Hi sunt autem qui vnitatem sponsalium cœlestium scindētes, Christum ipsum digamum quodammodo faciunt, cum sit pseudogamia verius eorum Ecclesia. Egone vt credam eam esse filiorum Dei matrem, quæ monstra tot ediderit? cuius vtinam puerperæ loci iam essent eiectitii. quos etiam mortales non puduit, tabulis obsignatis agere ætatum heroicarum cum

prudencia, & verò cum paracletico numine disceptare, conciliorum præside. Itane verò antistites ipsi soli diuinitus designati sunt, intelligentiæ verbi Dei, nunc primum cælo delapsæ? pròh superi: impotentiam animorum incredibilem. Religio prisca, & mille ac ducentorum amplius annorum canitie venerabilis, cum prudentia eiusdem temporis, per prouincias nuper in triumphum ducta est ab istis, & contumeliosè traducta, ouante licentia nostri sæculi: ob victoriàmque audaciæ intolerantissimæ, ornamenta triumphalia iis decreta sunt, qui peristyliorum vestitum abiecerant. quorum vtinã ipsorum argenteis linguis aurea quoque corda responderent congruenter: quod credi ipsi volunt. Verbi Dei mentio subinde in ore est, & in stilo, summa cum admiratione ipsius: quæ res oculorum aciem vulgi suo splendore sic perstringit, vt quod agitur hac præstigia, cernere nō valeat. Quotus autē quisque hominum φιλορέμνων, philologia quoque illa præditus est, quam in sermone præfert ista rhapsodorum natio? Quasi verò verborum inanis venditatrix, atque institoria verbi commendatio, amatoribus veris ipsius conueniat & cultoribus. certè quidem quosdam vidimus, quosdam etiam legimus in verbo verba dantes apertissimè. Nemo nostrum inficias it, victoriam verbi Dei ad extremum futuram: omniàque humana instituta, manus ei dare debere summa cum æquitate animi, atque reuerentia. Sed ita demum verbum Domini sui sponsa agnoscere didicit, cum numine conditum est interpretationis paracleticæ. id quod Dominus nos docere videtur, capite sexto Ioannis euangelii. idque homines certi nuper non ignorantes, vnum & alterū & paucissimos, antistites tanti oraculi, tamque patentis prouinciæ inspectores, designandos curauere, libera quidem illos cum potestate, sed suffragio confuso populi, liberalitate lactati immunitatis operum indiكتورum constitutionibus antiquissimis conciliorum, atque pontificiis. quibus conciliis atque pontificibus illi statim designati imperium abrogauerunt in præteritum, in instans, & in futurum, vt pote vitio creatis ignorantia verbi. quæ legum abrogatarum promulgatio, licet apud nos translatitia, paulatim tamen repens, eoulsque eualuit, vt quæ haud ita pridem & semper παράδοξα nobis erāt, nunc vt πῦρόχρηστα à multis nostrorū hominum excepta sint. Ex pigmentis autem illis imaginariæ veritatis, ex elementis doctrinæ scitè adulteratæ ab hominibus doctis, ira iusta, an iniusta percitis, deterrimi subantistites & imperitissimi, cinnum attemperarunt, vel verius miscuerunt peruersarum opinionum, errorisque varii ac

h. iiij.

multiplicis, atque in multis etiam absurdi & ridiculi. is autem nihilominus vnius hactenus nomen tenuit, ut conditoris: magnam partem fortasse dogma non agnoscentis, atque etiam dissentientis. Et quemadmodum Epeus ille opifex equi fatalis, Homeri carmine nobilitatus, omen tulit & inuidiam euerſæ Troiæ à proceribus Græciæ, qui in equo ligneo delituerant: sic ille quamlibet doctus alioquin atque memorabilis, inuidia perpetua flagraturus est alienorum quoque scelerum ac scriptorum, siquid ei acciderit antequam illud restinxerit incendium, quo incendio nunc ardet luculenta pars finium Christianismi. Neque verò viris bonis ac prudentibus, qui quidem catastrophæ considerarint licentioris huius dramatis, hoc persuadere quisquam poterit, quod τὸνδε τὸν ἱστορὸν ἐπὶ δὸς ἐποίησεν σὺν ἀθύνῃ. quippe facinoris huius quale est illud cunque exitus, index est certissimus iudicii diuini: ex quo præcipuè ratio atque indicatio constat, operæque precium humanorum huiusmodi consiliorum, si quidem constatura est. Nam pròh superum atque hominum fidem, quodnam sperare præmium. Sed enim porrò iam ultra clepsydram elatus sum: quam mihi supra admensus eram, indignitate utique scelerum transuersum me agente, quæ in præſenti nata, insistere me coegerunt, cum rectà contendere iter instituissem. Quare ad institutum cursum ab excessu redeundum est: quem mihi non cupienti prorsus iniunxit persona ipsius Aii Locutii, quam equidem hactenus induere grauatus eram, cunctatusque fueram, quādiu quod excusare habebā. Nuncque ea quæ scripsi, è plano dixisse utique videbor ipse, ut mihi persuadeo: non quasi è suggestu, aut tanquam è subsellio quodam superiore. Neque enim eorum sum, qui in album ascribi affectauerim scriptorum suo iure disceptantium tantarum rerum controuersiam. Quapropter necessitate me soluam in alteram quoque partem non nihil declamitandi, vel cum patronis eius potius legitimis atque ordinariis expostulandi, quòd paulo minus æqui sint in suum cuique tribuendo: ne hîc quoque imprudens stilum, quasi specillum adigam, altius quàm pro data mihi dandæ concessu lectorum auditorumque venia, qui fines non ignorant modumque meæ cognitionis. Sunt autem non pauci, qui in nostris exterisque veluti criticis ac censoribus orthodoxiæ, magnopere desiderent æquitatis aures comitatisque philosophicæ. quippe qui auscultationem accommodare plerumque grauentur iis de rebus animi causa, atque etiam animæ disputantibus, aut etiam tantum percunctantibus,

quæ inter peritissimos non nihil controuersæ sunt, quædam etiam iam olim controuersiosissimæ. Ferre autem non queunt homines quidam eruditione non qualibet præditi, se non vi argumentorum, non auctoritatum consecratarum pòdere premi (vt quidem ipsi vociferantur) cæterùm præscriptione trifæculari iniquè summoueri, aliquantòque ampliore, à causæ dictione. Enimuero indignum esse, nec vltra tolerandum, quòd obsoletis fascibus nullorùmque iam auspiciorum, quæsitæ auctoritatis nomenclatura tantum gradationis, concedere hætenus oportuit maiestatem aut dignitatē instructioris philosophiæ, ac multo ornatiore. Quem tandem inueniet (inquiunt) tam longa potentia finem? Ecquando sese abdicaturi sunt illi æquo animo, dictatura ista Pythagorea, atque omniū artium cunctarum disciplinarum scientiarùmque censura? omnium dictorum, scriptorum, ac professionum pro potestate arbitra? non ex boni æquique sententia, non ex antiquissimæ memoriæ doctissimæque responsis, sed ex placitis illius iudicia pronunciante exhedræ argutatricis: in qua plus supercilii semper fuit, caperataque fròtis, quàm dignitatis Areopagiticæ, probæque seueritatis. Atqui insolentis magisterii fastu atque imperio sese exuant ipsi necesse est, si viri boni videri volunt & credi, vt congruit eorum philosophiæ, dictaque vt præcipuè, non dicentes iudicent antiquo præiudicio inuisæ nouitatis. Neque enim virorum esse bonorum vt præscriptione quantilibet temporis, si minus est in causa bonæ fidei, quàm iuris summi, iniuriæque permixti. Hæc est ferè summa eorum quæ Aius ille loquens logodædalia magis improba, quàm facundia iusta præditus, vltro citroque altercatione circulari aut cubicularia dictitat: non etiam triuiali & circunforanea. qua de cōtrouersia nuper cùm communis prudentia in consilium hominum sermone familiari mitteretur, populique sensus communis in suffragium: longè quidem superior erat ea causa, honestatis morū patrocinio, quæ ab antiquitate stabat, inueterataque forma religionis & pietatis. Alterius autem partis numerosa aduocatio, duobus validis adminiculis, causam iure tum scripto, tum moribus recepto, luculenter infirmiolem, sustentabat, studio ingenti libertatis legibus solutæ conciliariis, pontificùmque sanctionibus: quanquam nec ciuilem in modum ac legitimum informatæ reipublicæ congruentis, nec optimatum uitæ, deinde tabularum nouarum nomine, tanquam vitæ beatæ certissimo omine: dulci quidem illo & sanè festiuo primore statim specie, cæterùm mox plausibili tantùm ac iucundo legis diuinæ decoctoribus.

Hos autem fidem bonam agnoscere, & vnà quoque eam cum ciuili charitate complecti, ægrè persuaderi potest optimæ parti mortaliũ. Erant etiam nonnulli in vtrorũque fauorem ambigui, & Ephecticorum similes: quidam etiam non Scepticorum dispares & deliberatium. Quibus addubitationem extemplo dempsit atrox illa coniuratio, sanè oppressa mirificè, illa verò & numine deprehensa manifesto atque memorabili. Et quando tamen iuris dicendi ratio, de sententia communis sensus, & fortasse prudentiæ pronuncians, ita comparata est, vt causa cum suapte ipsa specie, tum verò cardine controuersię firmamentoque superior: tamen quadam in parte labet, atque inferiori cedat (in vtriusque enim partis argumentationibus, interdum aqua illa quidem ratiocinationis hæret: sed illius pes in luto dogmatis sedit longè altius & fœdius) sed quãdo tamen in his præliis ancipitem Mars acrior interdum victoriam facit: licet bello quidem vinci orthodoxia ab æmula sua non possit, quam nonnulli loxodoxiam nuncupant: peruelim equidem, & optarim votis etiam conceptis, literarum saltem honoris causa (vt nihil hîc aliud dicam) hominũque illorum gratia egregiè doctorum, in diem vt trifecularem lis hæc comperendinetur: quæ aut temporum iniquitate, aut aliam ob causam dirimi coactis omnibus decuriis iudicum legitimorum nequit. Id tamen interim recepero bona vtrorũque venia, interim vt vindiciæ dentur secundum eam partem, quæ & rebus auspiciatò iudicatis à maioribus, & iure luculentiore nixa est: tum autem quæ sponsores vindiciarum promptius dare potest, quæ prædes longè plures exploratæ fidei & locupletes. Interim forsan videant homines singuli & vniuersi ad quos res controuersa pertinet, quid sui sit officii, quæ partes decidendæ rei sint, quæ vnus adiudicari tota atque integra non potest consensu alterorum, in hoc fortasse non prorsus iniquorum, siquidem scriptitandi rescriptitadique vicissitudine iurgiosa & gladiatoria, Christianismus lacerari, eiúsque existimatio potest: reconcinnari & constitui orthodoxia non potest. Quod igitur faustum, felix, fortunatum his atque illis sit, viritim & vniuersim, hoc Homeri carmine cludendam hanc digressionem esse duxi. hocque erit exodium inserti operi acroamatis, cuiusmodi à Græcis vocantur ἐπεισόδια.

εἰς ἔρις ἔκτεν θεῶν, ἔκτ' ἀνθρώπων ἀπόλοιο,
καὶ χόλος ὅσ' ἐφένκε πολὺ φρονάων χαλεπῆναι.
ὅσ' τε πολὺ γλυκίωρ μέλιτος καταλειβομένοιο
ἀνδρῶν ἐν σῆδεσσι ἀέξεται ἤν' ἐκ αἰῶνος.

Verum vt iam satis ac nimium forsitan expatiati, ad institutã viam reuertamur. Multis & aliis modis teterimus idem ac vaferrimus criminator Orci, negocium facessere mortalibus solitus est. Nunc enim titillat corpulentum hominem atque aspectabilem, instinctu voluptario atque proteruitatis: sicque intestinum hominem interpellat atque intus conditũ, ad philosophiam theoricam incubiturum. Interdũ cæca cupiditate transuersum agit vtrunque: nonnunquam cestro vindictæ extimulatũ, vel æmulationis improbæ, præcipitem rapit eum iam impotentem sui. Est quando placidè ac leniter insinuans, & quasi per obreptionem penitus admissus, circum præcordia ludit, non sine grandi noxa, vtpote lasciuiæ grassans, appulsu minimè atroci in speciem, & parum tumultuoso, ob idque minus suspecto. Est rursus cum occasionem nactus, eas intus intemperias cieat, vt vel rationis frænos admittere affectus impotentes sui respuant: ac si quoquo modo insertos illos non respuerint, genuinò tamen eos (vt aiunt) eorũque echinos lupatãque commordeant. tum verò præcipientes deinde vāsani que ferantur, vt effreni & furiata mēte. Quid quod eiusmodi est ille captator astutia præditus & solertia perdita, vt vnde minimè ab eo tibi metuendum censeas, inde maximè formidolosus sit pugilibus experientissimis? Denique instinctor ille fraudulentus & versipellis, nulla non arte instructus est cæca, surda, & Vulcania, ad hominum captionem. quo impensiore cura nobis si sapientiam audire institerimus, excubiis que acrioribus appulsus eius obseruabitur. Certè quidem homini philosopho, vtcunque fines Ægypti confiniãque egresso, ac iam in arce philotheoriæ commentanti, omniũque horarum excubitori, licet edita illa è specula intueri huiusmodi grassatorem: in triuiis vitæ, in atriis principum, in cupiditatis, in ambitus, in voluptatis diuersoriis, in erroris conciliabulis peruolitantem: eorum verò verticibus plerũque oberrantem, qui apicibus honorum sic inter animanteis bipedes insignes sunt & eminentes, vt vpupæ insignitæ sunt inter alias volucres. Ad exercitationem autem hominibus datus est, marcentiũque animorum & iacentium extimulationem, animarum iste contrectator proteruissimus. mentium vel bonarum ac castarum interdum conscelerator ac constuprator: tranquillitatis animi peruigil sollicitator, intestinæ pacis turbator infestissimus: licitor exterioris, carnifex interioris hominis: oppugnator patientiæ: constantiæ labefactor: fidei attentator: temerator innocentiae. Cum bellua tam importuna, cum volucre tam obscœna, cum mania, cum intem-

peria tam foeda, tam terribili, tam immani, nec tamen aspectabili, aut aliàs incurrente sensui, singulare certamen & passim & identidem vniciuique nostrum præditum est diuinitus, indiétumque, valenti iuxtà ægrotóque, noctu & interdiu, in celebritate vitæ & in secessu, denique per omnes vitæ actus ab ineunte ætatula tyrocinióque rationis. Et cum multa quidem eius tela sint, omniáque capitalia, iugulum etiam ferè conditi intus hominis, vitaliáque petétia: exitiarius tamen quosdam voluptate euertit, quosdam cupiditate, quosdam vácordi iracundia. Atque alius quidem alio telo citius aut nocentius, alius tardius aut leuius sauciatur: cæterum malum subinde rebellans & indomitum, nec remediis ita cedens, vt dormire sapiens in vtranque (vt dicitur) sine crimine arrogantia possit, vel capitalis negligentia: ne si succinctus quidem sit copiis omnibus philosophia. nulli enim non metuendum ab illa cæca assiduáque furiarum trium gladiatura, quarum exacuti mucrones, venenóque illiti, in aureis, in oculos, in os, in omneis partes blandè & iucundè incurrentes, ad viscera tandem fidunt & vitalia. interimque homo securus, velut è ludicro quodam innoxio digressus, illa subter cæcum vulnus habet: cum intactum sese esse atque integrum putet: vsque adeò Stygius ille Proteus, omnia transformat sese in miracula rerum. Multifariá igitur plagis cæcis mortales expositi, quonam modo iocis, ludis, cauillis indulgere, quando genium suum curare molliter & delicatè sine culpa socordia, tanquam in alta securitate, possunt? At nos inter sacrum saxumque constituti (quod fuit quondam in prouerbio) tamen nihil minus quàm hoc agere solemus: ridere verò, cachinari, nugari sustinemus. Atqui nisi cautè, prudenter, circumspectè, & tanquam è castello philosophia huiusmodi impetus excipiantur, nisi assiduæ petitiones caueantur cæcæ gladiaturæ: ad vitalia fortasse impetu primo penetrauerint, vel sensim perfederint: si quidem in re præsentì à nobis floccipendantur. Et earum quidem petitionum aliæ (vt res natæ fuerint) aliis nocentiores erunt: vt verbi causa, libido prima aut voluptatis, aut cuiusvis alius incessentis cupiditatis, strictim hominem pepulit: hoc tanquam peccati elementum est. altera est autem vel libido râtum vel cupido inchoata: & velut per summa titillans, aut leuiter appulsa: haudum tamen admissa penitus in præcordia, quod iam primordium est culpæ. At verò tertia est flagitiosa eo amplius, atque scelestâ, animo iam incessens plena cum assensione, quæ dein patretur ipsa necne, non magnopere refert, quod quidem ad animam per-

tinet fauciam iam & comprehensam. Hoc genus vt capitale victo, sic victori apud Deum homini palmarium: etiam si id esse diuini beneficii, partem quidem longè maximam potissimamque, nouimus. siquidem liberi arbitrii facultates, in peculio quidem illas (vt sic dicam) habemus: cæterum eas esse nouimus Domini in mancipio: vt-pote qui in seruitute natos nos esse meminerimus, obnoxiamque conditione. & vt in quenque incubare numini paraceto visum est: is demum fidei, charitatis, ac bonæ voluntatis plenus est. cæteris porro culpæ notis vacare, supra hominis est fastigium: à quibus intactum hominem euadere aut incolumem, cœlestis est prorsus vacationis, mortalique fastigio sublimioris. Nec verò in procliui situm est, ne in philosophiæ quidem contubernio, vitiorum igniculos, vitæ ob noxam datæ insitos & cognatos, extinguere: naturæ ipsius petulantiam compescere, vel comprimere potius: denique primordia tollere vici-orum, & (vt scripturæ verbis loquar) delere primigenia Ægyptio-rum. Id quod si egrè paucisque conceditur, alumni philosophiæ, qui ad curandum animum ipsi vehementer incubuerunt, corpusque perdomandum: quid futurum est illis tandem, qui carni indulgere, in corpus proficere & crescere, non item in animum cupiunt & contendunt? Cùm autem animarum ille captator, plagas suas & pedicas tendere & explicare omnibus in viis, semitis, diuerticulisque, solitus sit: tum verò in triuiis vitæ plurimum, in compitisque id facit, quæ ciuiles sunt celebritates, conuentusque insignes tum splendore personarum, tum concursu hominum. In iis enim multitudinem habet obuiam ad prædam & expositam, & verò sese ipsi dedentem vltro prædoni ad captionem ac fraudem: quippe incautam & immemorem conditionis suæ, insidiâsque non suspicantem. Quo fit vt in basilicis, in atriis, in locis frequentibus, & in regiis, & apertius tendat animarum ille auceps, & simplicius: cæterum plagis maioribus & perplexioribus, in quas sæpenumero sciētes prudentesque homines, ceruices primùm erectas & conspicuas inserunt, deinde penitus ipsi toti insinuant & irremediabiliter: atque ita (ô cæca mens hominū) vt visendi illi sibimetipsis & admirandi, & nō potius miserandi ob id esse videantur: illi verò vt plausus quoque captent inde spectantis stupidæ multitudinis. Neque enim in theatris huiuscemodi metus est ipsis vllus ferè à bellua reptili: nec obseruare vacat animæ periculum, iis qui in scenis amplioribus, oculis seruiunt plausitantium. Quin & eorum magna pars qui in foro honorario quæstoriōque negociantur, suis ipsi aucupiis æmulatorum tendiculisque intēti sunt:

i. j.

nihil minus pensi habentes, quàm ea quæ de superis inferisque audiunt. Miseram verò & conturbatam, perditam & profligatissimam hominum rationem: quos prudentes, quos consideratos, quos æmulandos, quos denique (vt vno verbo cuncta complectar) frugi esse homines vrbani sensus iudicat: atriensis eo amplius, numine quodam benigno, benefico, ac fortunatorio præditos. Age verò, vt iam in vniuersum loquar, vita ipsa ciuilis & quæstoria, in qua nauissimus quisque ac maximè industrius ingenii specimen præbet, fatique sui conditionem experiri contendit: quidnam aliud est ipsa, partē quidem longè maximam (si quidem limatam ad veritatem loqui placet) quàm hominum studium, varium quidem illud & multiplex: sed eodem tamen spectans, patrimonii augendis & propagandis, facultatibus cumulandis, ac sine modo exaggerandis, acerrimè intentum? quàm legitima, quàm frugi (si diuis placet) circumscriptio: ac legum ipsa morumque auctoritate freta? quàm inflammata hominum cupiditas plus habendi, audendi, ac pollendi, in captionem, in necem, in spolia & exuias imminens? Quorum tandem? ciuium & municipū, popularium, tribulium atque curialium: gentiliū præterea & cognatorū. Ad summā (vt planè & verè dicam) quàm quædam Christi legis antinomia: quæ lex cultū ac studium charitatis discurex inter adoptiuos Dei sanxit? Quid autem illa panegyrica vita hominum personarum, quos pseudoprofopos vocant: qui theatri ac scenæ cuiusque imperii & monarchiæ incolæ sunt aut accolæ: qui non legibus, nō plebiscitis, non senatusconsultis, non prudentum responsis, nō sacris sanctionibus & canonicis, sed curiata lege solum euangelæ obrogata, atque in diem viuūt: duntaxat quod ad animū attinet? nōne eorū cōuersatio si in vniuersum attenderis, cōciliabulum esse arbitrare & iudicabis, erroris hallucinationisque, demētis & deuii, tum autem æternarum rerū obliuionis & incuriæ? vbi nulla est vnquam canities cupiditatis: vbi perpetua adolescentia hiantis avaritiæ: vbi nulla emerita sunt vnquam stipendia impudentiæ & ironiæ: postremò vbi ambitus Eurystheo imperiosior, nullam non ærumnam iniungit gloriæ candidatis & cōpetitoribus. At hoc est studium legitimum ciuilis sapientiæ, hoc gymnasium hominū ingenio industriæque præstantiū. Hæc & huiusmodi alia Christianismi auocamenta perspicientes quondā homines multi, rerū diuinarū prudentes, iurisque salutaris cōsultri, excedere è celebritate vite, atque è medio, instituerunt, & tanquā foro cedere erroris, mercatūque extialis: vtpote in quo cernerēt lictores Orci lorariosque, vsquequaque

peruolitare. Eorum autem partim ad vitam abstrusam se contulerunt & soliuagam: partim societatem coierunt sodalitiam, in commune commentantes, atque in sociabili philosophia acquiescentes. Quod hominū consilium ad tranquillam vitam & salubrem agendam captum, ab aliquibus improbatum est: nimis fortasse animantibus, ac de hominis interioris integumento humaniorem in modum merentibus. sensorii enim corporis, quæ fenestrarum vicem obtinet, clatri abditæ philosophiæ admoti sunt ad sensuum compefcendam temeritatem & cohibendam, falsa sæpe & vana pro veris referentium ad principatum animi. Sed non è qualibet vitæ conditione & instituto consiliū id capi potest: neque cuius naturæ commodum est & opportunū è medio sic discedere, intraque peristylia sacra philosophiam amplecti. quanquam rursus philosophia non facile semetipsa frui potest, si ei quotidie in forum atque in basilicas prodeundum est, nedum si in publicū: quantominus autem ipsa philothesia medulla philosophiæ? Et quemadmodū ii qui ad literarum studia animū applicandū duxerunt, non quā vrbes habitantur frequentissimè, habere sua solent domicilia: nè aut strepitu viciniæ, aut vsus mutui necessitate, aut officiorum ciuiliū obeundorum, interpelletur eorum contentio: sic qui sartū tectum asseruare animum, à malèque suada noxa quàm minimè libatum, cupiunt, iis id præcipuè faciendum est quoad eius fieri potest non incòmodissimè, rerum vt æternarum studio, quàm plurimū: caducarum vt curæ, quàm minimum tribuant. Perpetuam tamen esse rerum illarum antipathiam vsque adeò non puto, quin & togatæ aliquando esse huic philosophiæ, & prætextatæ liceat, interdumque sericatæ, cum ita vsuenerit, personā vt sustinere equestrem ipsi opportunū ac decorum sit, quod sine captione quidē fiat, imminutionēque eius integritatis, & vbi que fide optima. Cæterum rara avis in tetrīs, nigróque simillima cygno. Et quibus hoc semel certum est, quid illis iam cum foro iucundum & suaue esse potest? & qui ad Mariā bona fide constituit, quò iam cum Martha còsuescere potest, negociūque habere? Nimirum nō nihil periculi est, ne incestus hic quidā sit, in philosophiæ sanctitatē admissus, aut certè in eius dignitatē. Nam quid germanæ & iustæ philosophiæ, solitudinis alumna, cū vrbica, cum attriēsi turba, cū strepitu celebritatis? denique quid cū stoliditate mūdi, cumque sensus còmunis temeritate, nō tam agentis vitā, quàm semper satagētis, si res ad verū existimetur? immo verò satin salue in illa viciorū errorūque colluione, animus iam sui iuris existens, diu versari potest atque

i. ij.

peregrinari, citra imminutionem quidem atque intertrimentum simplicitatis suæ? Siquidem sensus temerarii, atque obturbatores tumultuosi principatus animi, adire solent ad eum assidue, ut iudicem eorum atque disceptatorem quæ referuntur ab ipsis. ac sæpe quidem illi officiose adire, ac pro potestate, pro munere à natura ipsis iniuncto: sed sæpius sic obturbare, sic adstreperè rerum causas, qualitates, quantitates, pondera æstimanti & expèdenti, vix ut satis apud sese animus queat esse, ut munere suo ac magistratu summo possit rectè atque ordine fungi. Quare nisi interdictis continentia atque abstinencia, tanquam præturam gerentis in administratione eius status quam theocratiam vocant, sensuum licentia coerceatur, atque obnunciatio assidua quasi salutaris auspicii diremptrix, inhibeatur: principatus quidem ipse nec liberum, nec rectum rerum ipsarum quæ in senatu suo agitantur & disceptantur, iudicium habere potest. Atqui hoc apertis interioris curiæ foribus, & verò hiantibus, & res alias atque alias appulsas, intrò cupidè conferretimque admittentibus, fieri nequit commodissimè. Adde quòd obnunciatore illi, plerumque præcipites, sæpe etiam (ut dictum est) tumultuosi, falsum modum renunciare rerum solent: vanas magnitudines fingere, ac pondera commentitia. Vnde fit, ut animus trepidis nunciis vanisque consternatus, extra cancellos sui tribunalis exeat, aliasque res actitet, nihil ad id pertinēteis qua de re cum primis agendum est. Apud se verò esse quo tandem modo potest animus ipse, peregre semper agens, multiuagus, erro, vulgiuagus, expiator, palabundus, excursor? Quomodo autem inspector? quo curiosus? quo denique perlustrator? emissarius? circumspectator? Circumspectum verò & consideratum esse cupidum Christianismi, cultoremque eius institutorum oportet: auribus ad rumores vanitatès que torpentibus: non circumspectatorem, non oculis proteruis, nò temerè emissitiis, non rebus visis cupidè incumbētibus: non auscultatorem blateronum, non captatorem rumorum, nò auditorem auidum Aii Locutii, auctoris vanissimi: non ludi denique philosophiæ desertorem, non emanforem, nec verò atriorum accolam, nec conuenarum ciuitatis incolam; ne finitimum quidem. Id quod homines quidam, quasi diuaricati per oppidanæ vitæ confiniū atrienfisque, faciunt: ut alterum illic pedem (quod prouerbialiter aiunt) alterum hîc habeant: eorum animalium similes, quæ ancipitem vitam agunt, ob idque amphibia dicta sunt. Siquidem huiusmodi homines, quo vehementius augendis fortunis suis ac ornâdis intenti

sunt, eo inconsiderantiores esse solent rerum in spe positarum, quarum pignus nullum expectationis, sua sententia locuples & idoneum, oculis obuersatur ipsorum. Nam inter planos huius vitæ, hic quem mundum veritas ipsa vocauit, mirificus est hominû circumscriptor, atque à rationis suasionibus abductor: quanuis meditati sint ipsi, quanlibet animo confirmato. tum autem operam plurimam nauat idem quasi necessitudine coniunctus, satori illi scelorum & messori, primigeniæque noxæ auctori & suasori: qui passim terram versans humanam, in eaque sementem noxiam ac pestiferam factitans, semine sublecto euangelico, propter vias tamen regias & curules, vt sementes ipse facit grandiores, sic messes inde auferit longè vberiores. non perinde verò id euenit secundum viam sacram, asperam quidem illam, nec itidem patentem, atque equestribus copiis impedimentisque permeabilem, sed longè magis reductam ab orchestra chori Strygii & Eumenidum. eam verò circa ipsam, pleraque nunc vasta, inculta, desertisque simillima cernimus. mores enim in militarem viam atque vehicularem vehementer incubuerunt. quasi verò sub sarcinis commodius, cumq; impedimentis, iter expeditius contendatur ad immortalitatem. Quocirca vt nunc sunt mores comparati, & studia vitæ ciuilis atque in medio posita: ecquis est qui dubitet aut neget, animarum longam seriem & consertam, quandam veluti restim ductantium errabundæ saltationis atque deuixæ, noctu & interdiu, fauces in illas Ditis hiantissimas, furiis dirum carmen modulantibus, obtortis collis rapit? Simulachrum fortasse Christianismi publica frons retinet, germana verò religio atque pietas indies exolescunt, & conspicuè fugiunt. Sanctitatis tantum & fidei nomina insigniaque retinemus, & tanquam illarum exuuias in cælum reuersarum. & sic quoque eò viam affectare vnusquisque nostrum præ se fert? antiquissimamque eam curam habere perfrecta frôte dictitat? Itane verò pietatis imagine adumbrata placari Deum credimus & speramus? Stat contrà ratio (inquit ille) & secretam gannit in aurem. Heu fœdam erroris tetrâque caliginem, quæ finibus quoque & visceribus Christiani nominis, è faucibus Herebi inhalata est. adeò in cœlum attollere mentis oculos & figere nequimus, quò inter primos aspirare, eosque demum forsan, elogia testificantur euangelica, qui & mundum, & ea quæ mundi sunt, aspernanda duxerunt. Anaxagoras celebris nominis philosophus, omnia tenebris circumfusa esse dicebat. Empedocles angustas sensuum esse semitas conquerebatur, vt inquit Lactantius.

i. iij.

Democritus veritatem in puteo quodam alto obrutam esse aiebat. Socrates philosophiæ propè parens, incitiam pro doctrina mirè profitebatur. Quid igitur aduentus diuinæ sapientiæ mundo, quid cœlestis descensus veritatis vitæ profuit, si ignorationis nostræ tenebris non illuxit? si veritatem philosophicam è puteo caligante non in lucem semel extraxit? scientiam in æuum mortales non docuit? Restat id demum, vt contenebrasse denuo causando perhibeamus. at id fateri haud scio an impium sit: atque etiam ineptū & absurdum: cū lux eius non minus nubilo quàm sereno, non secus in tenebris Cimmeriis, atque in Oriente luceat. Equidem diem vltimum aduersperasse potius censuerim, mundūque iam præcipitem, & verò decrepitum ac delirum, indicare, ominari, significare occasum suum appetentem, interitūque. Certè quidem mente captum mundum esse inficiando non sumus, qui sapientiam & veritatem, beatissimæ vitæ partem, è manibus, è moribus, è medio abiecerit, pro iisque errorem dirum & stultitiam cupidè suscepit, ne dicam insaniam. Proh Christe, proh superi, proh dii iam beati & immortales, quid est, si hæc amentia non est, iustaque dementia? nos fauces Orci libenter accolentes, transitum tandem in illum Abrahamæ sinum sperare sustinemus velut Abrahamidæ? Aliquando igitur Christianismi constituendi ratio nobis ineunda est, dum in spatio sumus, dum prima aut recta senectus: dum superest Lachesi quod torqueat. Occasio non modò volucris & rapida, sed feræ quodammodo etiam naturæ est: vt volucres quædam quæ quavis domesticæ sint, euolandi tamen & reuolandi consuetudinem certam non habent: quare primo cuique arripienti cedunt occupationis iure, vt tradunt iurisconsulti. Dies nos, noctes, & horas fati circumstat inexorabile vadimonium, spiritum exacturi quem naturæ debemus. at in tumultuaria mortis ac trepida denunciatione, anima vti non potest præsentis animi consilio. Accingendum igitur ad commentationem finis primo quoque tempore, & quæ Dædala Circe incantamentis suis ac maleficiis immutauit, ea philosophiæ sacræ excantamentis in integrum restituenda sunt, aut certè in meliorem statum reuocanda atque salubriorem, quodam quasi postliminio ad sese atque ad principatum redeuntis animi. (Circen autem nunc appello, errorem vulgiuagum, & prudentiam communem, opinione falsa beatæ vitæ imbutam, rerūque expetendarum, qui mundus (vt opinor) à scriptura dicitur). Sic enim omni ope cōtendendum est: si quidem constare nobis fructū cupimus ærum-

nosæ huius vitæ, ac re ipsa calamitosæ. Nisi verò nescimus ipsi, vel verius nō recordamur, Christianismū vitam esse lustralē, sordidatā, sollicitam, & peruigilem: atque expiatrix vetusti illius hominis supini & veternosi. Ac mihi quidem huius vitæ rationem pro capto æstimanti, vnusquisque nostrum sui quidem certè non nesciorum, non immemorum, peregrinantis videtur animum speciēmque præ se ferre, meliores in sedes amœnioresque tendentis ac festinantis. Has autem dicere ipsas sedes possis, illarum penè similes, quas olim dixerunt insulas beatorum: si tamen vmbra rerum, rebus ipsis comparandæ sunt. Verum cum mare inter nos & illas interiectum sit, varium, scopulosum, vndique agitatum multifariam & æstuosum: nauis nobis disciplinæ socialis ac ciuilis à Seruatore relicta est Ecclesiæ conditore, quæ nautico ministerio, instrumēto, gubernaculisque instructa fuit ab ipso, aut eius auspiciis: & simul formulis attemperata ritibusque sanctis hortamentorum. tum vectorum multitudini loca partim per ordines descripta: partim promiscuè attributa, infra, supra, & in medio. Flatum etiam à puppi pollicitus est, ad exoptatumque locum vectores perlaturum, si clauum rectum tenere, sinusque spiritui afflaturo pandere, Ecclesia perrexisset. Quod cum in exercitoribus nauis & magistris ferè positum esset, fluctibus vt secundis flatibusque procederet nauigatio: in eo tamen ordine multa deformata fuisse iam pridem fama vulgauit: tum magistrorum auaritia, tum vectorum primæ classis studiis & incuria: qui fortunæ candidatis antiquissima quæque munera puppis & proræ fruenda permittere soliti sunt, cupiditatique hominum dilargiri potius & condonare, quàm reapse commendare fungenda rectè atque ordine. ex quo factum, vt canonum canicies vel caries potius, nulli iam vsui sit: sed velut anus delira è foro explosa sit, & ad scrinia bibliothecarum reiecta. de ponte enim iandiu comitiorum paracleti deiecta est disciplina canonica: vt annis sexaginta maior atque etiam sexcentis. vt non sit magnopere mirandum quod quidam subridiculè dixit in re parum festiua, lamentisque digna, potius quàm ridicula. aiebat autem minus esse deformitatis propemodum & licentiæ in agricolarum ordine, quàm in sacricolarum. Vtinam autem reliquias saltē & cineres funere propè elatæ iam fidei teneremus, à qua fide fideles suos Dominus dispensatores quosdam vocauit. qui enthei animi, qui æmulationis piæ: qui spiritus, qui Dei pleni, Ecclesiæ quondam columen, decus & ornamentum erant. nunc vix atque etiam iandiu, tectoriū inane Ecclesia,

i. iiii.

colorem & simulachrum retinet conditæ & demonstratæ à Christo religionis: si quidem vniuersitatis iudicium è parte multo maxima facimus. Et quidem quorundam (aiebat ille) beatorum interdum miserescere me subit: qui recordari nequeunt, cum vnum & alterum ambiunt honorum consecratorum, sese procos esse Hippodamiæ: & verò præcipitis magis ambitus atque proiectioris semel se atque iterum aleam experiri, quàm illi olim proci, quorum cupiditati cum fortunæ (vt assolet) improbitas subscripsit, reclamante ob rerum indignitatem, & quasi quiritante bonorum grauiumque natione, obdormiuisse interim videtur prouidentia, vt est stultitia multitudinis. Sic autem ferè videmus summæ rerum humanarum gubernacula, orbisque actus vniuersi conuersionem, non ad coniecturam hominum, non ad bonorum æquorumque votum, non ad prudentum & consultorum iudicium respondentia: nec ideo suas leges tamen ac certas non habentia, causasque nobis abditas euentorum. quippe in numine & maiestate sitas ipsius prouidentia, concordis in vniuerso discordia temperatricis: sine qua nihil factum esse in naturis productis nouimus, dicimus, & credimus. tametsi fors & fortuna, cum in vniuersum probitatis & æquitatis carnifex, dignitatisque & ordinis humanis in rebus abrogatrix atque deletrix: tum verò rationum philosophiæ conturbatrix, quantumuis subductarum, interdumque disiectrix: prouidentia conuenientiam exprobrare solet ad vulgus, incuria similem, sæpe cum cōuicio. Illa uerò & temporum sæpe conditione adiuta, principumque hominum voluntate parum cordata: vel verius animi secura libidine, periculum magnum creat mortalium innumeræ multitudini, ac fraudem captionemque nonnunquam capitalem. habenas enim rerum stulti & imperiti, quæ maxima pars est hominum, cœlitus mandatas temeritati putant, non item diuinitus. permotique & perculsi summa indignitate administratorum perperam magistratum, sacrorum iuxta & profanorum, benignitates has esse censent natalitiorum siderum, feriente prouidentia aut alias res agente. Nullum tamen capitalius crimen est cæci illius ac volubilis existimati quondam numinis, è tenebris altissimis forsitan oriundi ac densissimis, quàm quod vt in quenque incubuit etiam virum bonum, dignumque cui homines bene cuperent, improbum eum ferè proterius & insolentem facit, si arctè complexum sit. Non hîc in eo immorabor, quod Aristoteles inquit in decimo (vt opinor) Ethicorum: virtutem omnium rerum expetendarum, iucundarumque; & tristium,

mensuram veram esse : tantique vnumquodque bonorum esse ad
 verum perpensum , quanti vir bonus & sapiens id aestimare solet.
 ex quo fit, vt fortuita ista bona metiri ac definire sapientiæ arbitra-
 tu præceptisque debeamus : malæque & auersanda eadem ratione.
 Ita si fortunæ indulgentia ex stultis insanos facit : & ex non ita sa-
 nè malis hominibus, improbos : quid est quamobrem in ius accer-
 sere eam inculpatè possimus apud Deum, aut etiam ad philosophiæ
 iudicium & arbitrium, si noxam ipsa fortasse in pignoribus nostris
 nocuerit, si pauperiem in lare familiari fecerit, si votis nostris pro-
 rinus secunda non affuerit? Quid verò (quod inficiando nō sumus)
 si mare procellosum nauigantibus, & æstuosum, iactus omnium
 rerum sæpe faciendus est vt incolumes euadant, quod Nazanzenus
 ait : beare etiam fortunatissimum quenque sententia nostra cum
 multitudine pergemus? Desinamus igitur nodum in scirpo, quod
 dicitur : id est animi tranquillitatem & mentis securitatem, quæ
 bona sunt philosophiæ, inter fortunæ beneficia quærere & expe-
 tere, quæ nemo vnquam veræ sapientiæ studens, in ære suo nume-
 randa esse censuit. Aurum olim annularium abiectum esse Romæ
 legimus, ob indignitatem Flauii scribæ, qui ædilis curulis factus est,
 præteritis consularium filiis. nostro autem tempore cum & magi-
 stratus primarii, atque insignes honores ordinis amplissimi sacrico-
 larum, viris imperitis nonnunquam (ne dicam non optimis) aut sæ-
 pe conferantur, neque id quidem modò, sed etiam cumulatè con-
 gerantur : ingentique cum indignatione Nemeseos & Adraistiæ :
 nunquid causæ est, quin homines literis & existimatione censi, li-
 bros abiiciant, calamos frangant, forulos comburant, philosophiæ
 salutem, nec minus moratæ dicant, quàm literatæ : si succensere ipsi
 iniquitati temporis, si irasci iuris distributiui negligentibus in ani-
 mum inducant principibus vtris atque pontificibus? At ita Deo vi-
 sum est, ob idque mustitandum magna cum æquitate animi, si qui-
 dem saperemus. quis enim nouit, cum vtris commodius & præstan-
 tius, his an illis agatur, diuinitus? Quapropter ad consilia Dei : ad
 acta prouidentia, quæ ponderibus suis cælestibus, & nobis incogni-
 tis, causarum momenta examinat, hominumque tum merita nouit,
 tum illis commoda & incommoda : humani intellectus aciem con-
 niuere multò consultius est, quàm audacius ex aduerso homines ob-
 tuenteis mulctari cæcitate. Quam in fraudem sæpe incidunt, qui
 trans cælum quasi vitreū & perlucidum, vim intelligentiæ suæ perspi-
 cere posse cōfidunt. Proinde qui ad cæci numinis aram & versatilis,

vota magna cum religione faciunt, ii parum idonei sunt ad numerum eius augendum sodalitatis philosophicæ, qua de nunc sermo nobis est. Cum eo quoque, quòd Christus sapientiæ magister, censuram nouam & inauditam inter mortales gerens, dictaturamque veram ac nobis commemorandam, rerum ad beatam vitam pertinentium, fortunatos homines & copiosos omnibus è gradibus deiecit beatorum nomenclaturæ. Hoc certè omnibus in confesso est: quòd qui philosophari fide bona institerunt, quo minore pomærio constituendæ vitæ summam, tuendæque œconomix circumscripserunt, (intra quod tamen egestatis gurgustiū tegetemque non cludo) non modò securius, asyloque propius tranquillitatis agunt: sed etiam expeditius ærumnosi curriculum certaminis permetiuntur. At nullus finitor humanæ cupiditati tam commodè ad salutem, tam congruenter ad philosophiam, statuerè modum potest, quàm Dei prouidentia: si tamen hanc ei curam permittere nobis persuaserimus, aliàsque res interim ipsi curæ antiquioris agamus. An obliuisci tandem theosophiæ cupidus homo potest, quo ex loco Seruator salutē nobis æternam pepererit? qua ex formula tum mortis, tum vitæ, aditum nobis in cœlum, ostiūque beatæ & immortalis securitatis patefecerit: id est exaggeratæ numeris omnibus felicitatis? Iam verò æquitas animi, si in rem futura est cuiusquam, nimirum è re maximè futura est existimationeque hominis philosophi. atqui in ea plus inuenies subsidii tandè, quàm in impotenti affectu: præsidiique longè plus, quàm in ciendis animi intemperis impatientiæque tragœdiis. Nam cum nulla sit actio prodita mortalibus ob iniuriam fortunæ, nimirum non cum Deo expostulanda est ob rerum indignitatem, prouidentix vt conniuentis patientia, sed à Deo postulanda potius in aduersis æquanimitas, ne vulnus fortunæ scalpendo inconsideratius, exulceremus acerbè atque dilaceremus. vnguis est enim in vlcere, impotentia sermonis in iniuria fortunæ. Postremò mortalium vita certamen est quoddam vmbratile Stygio cum sicario, & cum fortuna carnifice philosophiæ: hostibus cum infestis, tum cæcis, tū improuisis: qui prælio in vita sæpenumero, bello nō ante mortem vincuntur. Sua est autem vnicuique palma victori in æuū destinata: suum interim vnicuique stipendio tanquā æs attributum consolationis diuinæ. At verò bello finito, & peregrè redeuntibus, certū & fixum domiciliū constitutum est, ad fructū pacis atque securitatis æternæ iam atque beatissimæ. Desinamus igitur cū imperitis atque æquanimittatis nesciis, stomachosè in fortunam inuēhi, vel verius

subamarè compellare prouidentiam quasi pseudopronœam, sub appellationis fortunæ integumento. Quod enim nunc grauamur & querimur, nulla non memoria fuit, humanis vt in rebus in vniuersum, & verò summis vt in rerum actibus, temeritas casuum, forsque illa fortuna nuncupata, magnopere pollerent. Quin & in æde Domini nonnullos, quos videmus reuerentiæ supremæ titulo insignitos, satis vrbane quidam pro concione, esse tanquam vasa dicebat aurea, ad ornatum in altari domini, non ad vsum exposita: sicut in ædibus priuatis vasa à Græcis ἀγασθηματα dicta: quæ in ornamento tantummodo sunt abaci, & vt est apud Homerum, ἀγασθηματα δούλους, non in ordinem etiam redacta instrumenti conuiualis: spectandæque magis ipsa domi, quàm vtilia. Huius deformitatis causam attulit primum supremorum Domini dispensatorum incuria (aut si quid aliud fuit, vel culpæ vel criminis) quibus summa naus anchora (vt aiunt) ab ipso credita esse existimatur. Siquidem ex quo primum legendorum administratorum facultatem, à comitiis paracleticis abductam, muneris illi sui tantum fecerunt & arbitrii: ima summis (quod aiunt) quodammodo permixta sunt. Sponso enim Ecclesia prouinciatis ex eo tempore habere cœpit, magna ex parte homines non delectos, sed quoslibet: peculiatos quidem illos atque numularios, cæterum nullo ære memorabili censos duntaxat euangelico: dotis etiam magis sponsalitiae atque eius obuentionū, quàm sponsarum ipsarum cupidos & amantes. Hoc autem quid est aliud, quàm prædes domino dare actuū primariorum, sponsoresque rei summæ, homines infimæ classis in sua ciuitate? inde illa nunc quiritatio factiosæ multitudinis, Dei, diuū, hominūque fidē implorantium: sub eiusque inuidiæ titulo, rei que indignitatis, imperio tribunitiæ potestatis parère recusantium, tametsi augusto & pro numine habito consensu tot ætatum. Enimuero imperitiæ iam esse atque rusticitatis: non orthodoxæ, non prisce pietatis: imperia ab istis accipere, qui apertè mandata Domini floccipendant. nisi verò non ludibrium est (fremunt illi, aut cauillantur) disciplinæ euangelicæ, saturionum, gnathonum, curgulionum auctoritate aut voce, ieiunia nobis indici: ac pro temperantiæ magistris, sacræque philosophiæ interpretibus, dipnosophistas plerunque nos habere, & antistites Liberalium. Et cum eò quidem iam mores euaserint, in tanto iuris tum ciuilis, tum pontificii studio, in rationē vt priuata, cum Catonibus testatò paciscamur & cautiſsimè: isti in dominica ratione, tanta inertia incuriæque præditi sunt, vt vel Fimbriis ac nepotibus

committant primarum partium actus, atque in tenebris cum iis miscent dispendio incredibili dominici patrimonii. Sed sint hæc & alia quæ dicuntur, aliqua ex parte vera : (neque enim eorum apologiam scribere institui : quanquam fartam rectam in primis velim maiestatem numinis Ecclesiæ, à Christo causam habentis.) vt igitur non immeritò homines tantis in rebus rectorum incuriam grauentur (ne quid amplius dicam), num ea satis idonea causa est, quam propter sacrosanctæ potestatis reuerentiam calcare debeamus? omnemque ordinem ipsum maledictis configere ac despuere? ita enim rerum humanarum conditio natura constituta est, nihil vt minus situm & cariem verustatis contrahat, quàm boni mores, quàm emendati ritus & compositi. Alia igitur (vt mihi quidem videtur) incunda erat ratio rem lapsam constituendi, æmulationisque piæ ac probabilis redolentior. Quod non dubiè futurum erat, si quantum studia apud singulos, & quiduis inceptandi impetus valent: tantum Christi charitas in publicum valeret prouinciatim. Vni quippe vacat studiis odiisque carenti humanum lugere genus: quod de Catone à Lucano dictum est. Cuius iandiu viri germanum genus interiit: & pseudocatonum pro eo passim enata gens est mundo, degenerante iam pridem Christi charitatis indole, sic publicam vicem dolentis, vt priuatæ ac propriæ rationem præ illa, propè nullam habeat. Proinde ad suprà dictam rerum deformitatem, aliàsque complureis, cum vasorum vasculorumque omnium Prometheus patientiam tandiu accommodet: quid causæ est tandem, quin vasa ipsa etiam vtilissima, acquiescere in suo ministerio debeant, potius quàm rumpi stomachando? Verùm enim uero vt ad nauigationis mentionem longo satis interuallo redeam, quanquam & iacturæ animarum, & naufragii causæ, & rursus salutis atque incolumitatis, in cura & industria, & rursus in torpore atque inertia exercitorum nauis sitæ sunt cuiusque prouinciæ, eorumque qui ab ipsis magistri in naui designati sunt: prospicere sibi tamen vnumquemque oportet. Quis enim alienæ fidei salutem suam ita creditam credat, vt in securitate sui acquiescere debeat, qui quidē ipse vehi naui se meminerit, quæ vasti ponti fluctibus scopulisque exposita sit? Quasi verò si videre mihi contingat eos qui ad clauum sedent, eumque ipsum fortasse, cui primarum & secundarum partium inspectio mandata est, alto somno sopitos, aut perforos tabulatæque animi causa inambulanteis, securos sui suorumque periculi cælitus denunciati: ipse quoque suppari sopori & inertiae indulgere debeat, salutisque

meæ rationem quanlibet habere atque translatitiam. Quid si contrà eò acrius tibi consulere debeas, quòd auspiciis ductorum defici te tuosque gregales sentias? Ita fert autem religionis ratio à Christo constitutæ Seruatore mortalium, cura vt sui singulis antiquissima esse debeat: deinde coniunctorum necessitudine religionis, & communitate initiorum. Ac tametsi parentum & liberorum beneuolentiam, hominum etiam cognatione & beneficentia, & simul officiorum vicissitudine deuinctorum gradationem, atque ordinem amicitia, lex Christi Seruatoris non sustulit: propinquitatis tamen atque germanitatis charitatem, arctam, exquisitam, & (vt alibi dictum est) dioscoream, intercedere inter homines alienos quoque vel genere, vel municipii iure, ignotosque statuit: & porro lege sanxit. Sublatam insuper & præcisam illam exceptionem voluit iuris gentium & Hellenismi, extraquam si is quicum mihi negotium est, capitali me odio persecutus fuerit: aut capitali me fraude quoquo pacto implicauerit. Quod ius Christianismi, nulla ex memoria, nullis è moribus gentium, aut institutis philosophiæ, translatitium esse constat, sed nouum & inauditum. neque verò è terra, sed è cælo oriundum est, vt tute hominem quemuis, iisdem tantum sacris tecum initiatum, cætera alienum & incognitum, & porro malè tibi cupientem, non modò tibi iustum amicum, sed alterum te esse ducas: & cum sis Pylades, Orestem eum esse censeas: nec minus illi alteri, quàm tibimet ipsi cupias, faueas, commodites. adeò Christianismi exortus veluti nata fidelibus hora, diuidit in geminos concordia fata duorum. neque duorum tantum, sed multorum quoque & plurimorum, quasi germanorum geminorumque. Hic, hic superi, hic (inquam) quis est qui culpa yacare possit? Quis inter nos Aristides euangelicus? quis porro ad normam euangeli vir exactus? quis ad ædificationem ædis Dei quadratus? quis ad examen Domini vir est æquus & bonus? quis verò ad perpendiculum crucis Christi rectus est? quis porro suffragium meritis ipsius filii Dei, vt atramento mentis, vt liuoris loligine vacuus, quod illi Israelitæ cōtigit, quem ipse Iesus Christus suo suffragio ornauit? ecquis huiusmodi nunc extat? in vrbana conuersatione, in oppidana, in comopolitana, in vico, in rusculo, in gurgustio, in peristyllo denique monastico? equidem vix est opinor in Timoneo. Nam in atrien-sibus conuenticulis lex charitatis nunquam fortasse trinundino iusto promulgata est: cum ibi rara & exilia eius vestigia compareant: nisi subdolæ & intus atræ, ironiæque adulteratæ. Certè nunquam

illic rata satis fuit ea lex, si quidem è memoria nostra, atque ex a-
uorum, coniecturam in præteritum facere instituerimus. id quod vñ
ipse faciam, non ægrè qui volet mihi persuaferit, qui genium auli-
cum non vnus tantum generis, nec vnus ætatis, aut lustrarim ocu-
lis, aut satis meminerim. Hactenus enim illic beneuolentia valet,
atque semper valuit, porro etiam valebit, ira ferente genio conuen-
tuli quatenus & quandiu inter æmulos, inter mutuò semel offen-
sos, inter perditè sæpe exosos, fucatae amicitiae suum operæ habent
pretium, olimque habuerunt. Neque verò in simulationis æde ve-
ritas coli piè potest: neque charitas contubernalis esse cupiditatis
auidae atque æmulatricis. Quæ cum è cratere ipsa redundante sæ-
pe hauriat opulentiae inexhaustæ, è siphone tamen bibere, aut è
gutto sugere ipsa sibi videtur, quasi malignè fundente fortuna, aut
largitionis genio. In eo conuentu & similibus, quas officinas esse
videmus tabernàsque humanæ prudentiae, cum pudorem impu-
dentia, sermonis candorem versutiloquentia, veritatem vanilo-
quentia, bonum & æquum iniquitas & improbitas loco mo-
ueant: omni que gradu, ordine, statu, auctoritate, & ponte deni-
que deiciant: ibi negocium habere studia philosophiae quæ pos-
sunt, nisi molestissimum? Ibidem ergo maneat qui nigra in can-
dida vertere, atque ima summis miscere didicerunt. in Calypsus (in-
quam) maneat diuersorio, in quo mortales ingeniosi, candidam
simplicitatis insontis & ingenuæ deponentes, qua in genitali laua-
tione amicti sunt, versicolore ipsi pro ea habitum cum sexculy-
xea calliditate sumunt. deinde sophismatis & antisophismatis atri-
sibus & palatinis, strophis atque antistrophis instructi, ibidem so-
lennibus & ediscendis, fortunam sibi finxisse scitè ac strenuè di-
cuntur. Non ignoro virtutis speciem interdum ibi conspici illustrè
& vendibilem. hoc dico, virtutes ibi plerumque personatas esse,
ad vsumque exemptiles, & Roscianas. quippe vbi tam friget veri-
loquium atque etiam offendit, quàm plausu excipitur scita assenta-
tio. Proinde, procul inde, per inquam procul abscedant necesse est
phileuangelii & planiloqui, qui veritatis cultores sunt atque simpli-
citatibus: vbi philirones & flexiloqui, primarum & secundarum acto-
res, & tertiarum esse plausibiliter cernuntur. In vniuersum Diony-
siaci (vt Græci dicunt) artifices, è schola ludiorum, vbi ciuium incō-
modis & necibus sua commoda augere non modò solenne est, sed
etiam plaudendum & palmarium. Lex autem beneuolentiae supra-
dictæ hoc habet magnopere memorabile, imprimisq; accuradum,

(vtpote in tabula summa scriptum, secundum & proxime diuini cultus præceptum, quàm maximè fieri potest dedititii atque deuotitii, in quo præcepto Christianismi imum est fundamentum & fastigium) hanc inquam, habet lex Christi tanquam appendicem primi capitis, vt qui in ciuitate professi sunt quæ theocratia regitur, sic animo comparati sint, ciuicam vt coronam ab omnibus & singulis mereri cupiant & gaudeant, vbi res nata cunque tulerit vt id possint facere: à propinquis iuxta alienisque, ab amicis itidem & inimicis. Charitas enim Christi amussis est alba in lapide albo, vt est in prouerbio. quippe quæ necessitudinem Pyladeam, vt vinculum Ecclesiæ, vnitatisque retinaculū, sanctissimè instituerit, quod quidem ad beneficentiam attinet & beneuolentiam. Christi porro nomen, insigniæque crucifixi Christi, in deliciis habet tantum: & velut vnicos amores suos ardentissimè exosculari gaudet, atque etiam suauari. in eo summi boni pignus habere se certissimū summa cum fiducia credit, in eoque falli non potest. Age iam, hanc cum esse summam religionis & pietatis orthodoxia constituerit: cum id è loco superiore docentes religionis interpretes audiamus: cum è loco inferiore, secunda nos admurmuratione hoc dicentibus assentiamur: cum publico consensu, cum legibus & regum & pontificum id capite sanctum sit, dirisque insuper imprecationibus, si quis eius dogmatis quicquam labefactare ausus sit: iam verò cum morituris nobis hoc maximè in mentem venire & persuasissimum esse, cum in Christi cruci affixi amplexu animam agere summopere exoptemus: postremò cum eos quibus id diuina benignitate euenit, rectè, commodè, & feliciter vita functos esse perhibeamus: nobisquemetipsis soleamus & charissimis id ominari, liberis ac propinquis: nec verò manes funere elatorum rectè conditos esse censeamus, nisi super humatorum tumulum cippumque monumenti, crux pro ornamento amuletóque dirarum erecta sit: hic iam quid dicam? vndenam ista tandem mentium, opinionumque peruersitas? vnde sensus communis & prudentiæ ciuilis tam deuia, tam cæca contentio, vt aliud in vita expetendum, & equis verò velisque consecrandū, aliud in morte pro summi boni pignore existimemus? Sūma certè hæc dementia est, hominiquè verè philosophanti incurrens oculis, & miseranda: vt non mirum sit nobis, veluti mète captis, bonis interdictū esse, quæ quidem sanè vera germanaq; bona sint: nec in fortunæ infidæ ac perfidæ mancipio posita. eorumque tantum nobis vsus & potestas permessa, quæ longè officiunt plus

animo quàm proficiunt, & simul quæ animæ corpori fœdè lenocinanti, sepissimè negocium exhibet anxietate plenum. Nam quotus quisque nostrum sacris initiatorum, æternitatem promittentibus & immortalitatem, vsque adeò de se liberisque sollicitus est, vtrum suū illorūque nomina in albo cælesti perscripta sint designatorum Christi: atque idem ipse de eo angitur, vt inter alumnos fortunæ, beneficiariosque fati, adoptatum sibi esse ipsisque eueniat? Age nunc in diuersum: ecquis est mediocri cognitione imbutus, aut etiam leui opinione rerum sempiternarum, quin probè intelligat, atque ex animi sententia, si vrgeas fateatur, multo deterius & miserabilius cum illis actum esse, qui inter reiectaneos prouidentiaē relati sunt, quàm cum calamitosissimis hominum in vita, qui spem habent beatitatis? Itaque tum demum resipiscere incipimus, cum Atropos apparitrix rigidissima, migrandum esse innuit, serò, an adhuc tempestiuè, nescio: certè difficillimo tempore, & sepe grauissimo. Hoc igitur teneamus vt elementum philosophiæ primæ: naturam humanam, luere olim non potuisse fidem suam, nec nunc posse Stygio fœneratori oppigneratam & nexam, nisi fidei crucifixi interuentu, qui constitutum chirographi alioquin indelebilis, è loco superiore pro singulis ac vniuersis fecit. Ceterum per euariantium affectuum iactationem, quasi per mare (vt diximus) vadosum, scopulosum & procellosum: per pontum quoque & per euripum, per breuia & per alta, vela nobis facienda sunt. Remigio etiam nauigandum, ad quod ipsum strenuè & nauiter nobis incumbendum est, flatibus quoque secundis non minus quàm aduersis. Nec ideo tamen à naufragio nimio pere metuendū est, quod quidem attinet ad summā rei nauticæ: quippe nauigio non fragili, non solutili, cæterum è materia crucis dominicæ cælesti manu edificato, tabulis nouis cedrinisque coagmentato, clauis insuper illis compactili & cōfirmato, qui in Seruatoris sanguine temperati sunt. His autem ipsis fides Christianismi sic validè, sic firmiter fixa est, vt conuelli nulla vi possit in perpetuum, non inferna, non superna, ne si tartarea quidem ergastula soluantur, si Titanica stemmata, si nomenclaturæ Hesiodicæ monstra in populos emittantur. Quo minus nobis metuendum est hodie à rerum nouarum molitionibus, animos sollicitatibus sanctiorum ætatum senatusconsultis acquiescentes: quas indies alias atque alias videmus exoriri, exorturasque fama adhuc perhibet, & temporis licentia præ se fert, ad vsque vltima indignitatis exempla, nisi publicæ curæ vigiles viderint, ne quid ipsa res Christiana sibi permissa detrimenti capiat.

Etenim auspiciis Christi exercetur nauigatio, qui cùm vbique habeat imperium dictatorium, nec minus id obtineat in hostico & infesto, quàm in pacato & composito: nauem tandem ipsam cum delectis vectoribus incolumen appulsum iri pollicitus est, vel si Palinuri somniculose, si etià veternose obdormierint ingenti cum sua fraude. Singulis tantùm id uidendum est, ne iactum earum rerum faciant, sine quibus ad portum hospitem atque amœnũ nemo admitti potest. Retinenda enim (vt dictũ est) mordicus capita duo prima Christianismi: qui sic decem ipse tabulis legis constat, cariem nunquam sensuris: nusquam remissionem seueritatis iam æternæ, atque in omnes æquè pollentis: vt in prima secundaque tabula, totius legis summa, ab euangelio legislatore posita sit, & constituta. Summopere igitur homini philosopho cauendum est, ne in tempestate, ne in turbine, ne in æstuosa iactatione (cuiusmodi iandiu populum ordinẽsque exercent) iactũ inexpiabile summæ Christianismi faciat: ne in vadis hæsitatiæ quasi expes & deprehensus hæreat. Quod etsi non minus sereno & tranquillo, quàm nubilo cælo impendentique procella euenit incautẽ & supinẽ nauigantibus: nunc tamen vigilantius obseruandum est, ex quo opinionum quarundam (vt dictum est) peruersarum nebulæ, nullo sæpe auctore sparsæ, certum cæli conspectũ passim iis ademerunt, qui ad oculũ tantũ & astrolabum cælestia perpendunt. Nec verò diebus (vt dicitur) halcyoniis, in vtranque aurem dormiendum est. nam eo tempore maximè marinam onstra suspecta sunt sapientibus, atque formidolosa. His adde, quòd & bono & firmo stomacho esse oportet, animique æquitate prædito, vim aduersus & iniurias tum hominum, tum fortunæ: nec nausea (vt ita dicam) indignationis atq; stomachatione rumpi. Vt enim grauati plerunque hæc deuorentur, velut res amarulentæ: admotis tamen quasi fomētis, sanctioris philosophiæ præceptis ac documentis, commodè concoquuntur. Hoc porrò etiam in loco ab Homericæ philosophiæ mutuari quippiam nostra non grauabitur orthodoxia. apud quem poëtam Vlixes aduersus Sirenum capitalis illecebras, consilium Circës, quam ipse deam vocat, secutum se esse commemorat, eoque consilio & ipsum & socios perniciem certissimam effugisse. Inter monstra enim maris huius sæculi, curriculique vitæ actuosæ & fluctuantis, quod nobis vel breui vel longo traiectu, vel mediocri transmittendum est pro cuiusque vitæ fuso: Sirenes plenissimæ sunt periculi, vitatũque difficillimæ. Auscultet igitur Vlyxes, philosophiæ non priscae terrenæque

lz. iij.

discipulus: sed theoricæ potius, de cæloque seruantis quam Græci vocant ἑρανοσιόπων. Vir prudens utique rerū salutarium ac diuini iuris consultus, de sua salute propinquorumque & sociorum anxius: tum appulsus in patriam suauissimi cupidissimus. Siquidem sacrosancta philosophia, quæ velut in mari hortator hortari solet, salubria hortamenta dare nobis nō desinit. πρὸς μελινδία νόστον, eaque inculcare assiduo magisterio. Sirenes autem sunt hoc tēpore, mea quidem sententia, ut etiam olim fuerunt, iucunditates & illecebræ urbani conuictus atque prætoriani: cuiuscunque etiam hominum celebrioris cōuentus, in quo civilis prudentia venditare se, iactareque solita est, suis cum multis variisque facultatibus ingenii, animique expolitionibus. In his enim nominis claritas ambitiosè quæsitæ, oculos præstringit sensus & prudentiæ quæ communis dicitur, splendore quodam, in re præsentī quidē illo sanè micanti & æmulando: sed veluti vitreo & sensim euanido, si sustinere pergas. Et Sirenes quidem, quāquam olim dictæ sunt aurium voluptates, ut Gorgones oculorum (quarum nulla ad sese hominē rapit violentius, quā laudatio cuiusque suis auribus deuorata, ut inquit apud Xenophontem Socrates) Sirenas nihilominus nunc esse duco aut certè dici posse, urbanæ vitæ illicia & atriensis, & cuiuscunque conuentus ac conuictus celebris, ad popularitatis aucupium plaususque institutæ & comparatæ. In his sunt autem, morum ad rationem temporis locorumque & fortunæ concinnatio atque compositio: affectionum, corporis, eiusque habitus & cultus elegantia & lautitia: lepos, facundia & venustas in fermocinatione, studiosa & aucupatrix fauoris & gratiæ: ambitus strenuus & sibi semper intrans, popularis auræ petitor, & famæ candidatus: denique omnia vitæ lautioris ac nitidæ munia, functiones, officia, obsequia, ad venditationem sui theatricam exquisita, cōcinnata, & perpolita. At hæc teuera formulæ sunt fuci, senatui, populo, equestrique ordini, vitæque (ut dicitur) & mundo factitandi: hæc artificia probitatis adulterandæ & charitatis, atque emētiendæ suauitatis morū, beneuolentiæ euāgelicæ, ludibria inaniæque simulachra, quæ alienis iuxtā familiaribusque obuia est (ut alibi diximus) & morigera. Quarū ex rerum mixtura cinnus ille conficitur morū, quā vrbānitatē appellamus aulicam, vēdibiliter quidem ille, & mirè ad speciē, sed inaniter reuera & in modū futilem attēperatus, nihil prorsus aut æqui boni referēs, aut charitatis Christi. Multa autem huiuscemodi vendibiliter inter homines fiunt: ac secundo rumore plausuque excipiuntur: quæ auersa tamen aui inauspicatæque fieri, sapientiæ non

dubium est, quæ de cælo seruire instituit, sursumque suspicere. Vtque adeò regnum Christi, ab institutis humanæ prudentiæ dissidet. Et hæc est ferè formula eius Sirenis, quam aulicam facundiam dicimus: non magis locum significare volentes, id est eius incunabula, quàm ludificationis artificium, quod latissimè patet. hæc autem in iudicio philosophiæ, nec faciundia est reuera, nec morū elegantiæ: sed aretalogia potius hominum, circumscriptrix: auribus putida & molesta simplicitatis amantissimis (cuiusmodi sunt aures præceptoris euangelii auscultatorum) audiendæ veritati, non item vanitati, pronæ & defæctæ. Huic siue fallendi artificio, siue actui scenico è schola disciplinæ salutaris protinus explodendo, conuenit amiculum anceps atque geminum simulatione subdola dissimulantiaque contextum, tinctum succo supparasitantis præpotentibus impudentiæ: quam (vt fert vsus) induunt fallendi artifices in hanc aut illam superficiem. ad desultorios enim mores ea vita maximè comparata est. In vniuersum autem nugarum institores, fumosæ charitatis ac tepidæ venditores duntaxat apud homines in atriensibus cõuenticulis adhuc hospites ac peregrinos. quibus nullum est negotiũ ipsis, nulla necessitudo cum veritate germana, cũ simplicitate Christiana, denique cum fide bona, & cum candore hominis interioris. Nihilofecius tamen ars est moribus iandiu receptissima in omni penè ordine, sacro iuxta (si diis placet) profanòque: sui ac certi generis lenocinio temperata, capitalique mangoniõ. Hac liberaliorem paulo genium habet, imposturæque nõ ita maleficæ, blandiloquẽtula tantum comitas, & prensatrix hominum: ludibundis oculis, & mimo scitè seruientibus. quæ salutationum largitrix prolixarum & sesquipedalium, amplexus etiam arctos ingeminare solet, nec verò grauæ se dedere, vt in quenque incurrit qui quidem aliquo sit in numero: cæterum captandæ magis (vt sit) gratiæ, quàm doli mali, fucique in necem hominum captionemque factitandi, cupida & artifex. Vtraque tamen si ad verum æstimare res volumus, amicitia iustæ & beneuolentiæ nescia atque neglectrix: & meditata tantum vanaque veritatis assimulatrix. sed quæ inter artis aulicæ tamen ediscenda sit progymnasmata, iis quidem qui officinæ ambitionis formandũ atque perpoliendum genium suũ dederunt. Quibus etiam vt appendix accedit ea quam Græci glossocharitiam vocat, sermonis quidẽ illã largitione, sed veritatis atque operæ parsimonia morigeratẽ. Ad huiusmodi verò morum mendosam rationem, corporis animique degeneres affectiones, ad personatæ vitæ

lz. iiij.

ductum, nihilque sui proferētis, non naturæ proclivitate: non igniculis illis innatis: non instinctu spontaneo suoque mores cientur hominū: sed prava æmulatione, sed prudentiæ communis magisterio, & sensu insititio. cacozelia Græcè dicitur, viciū in verbis, in sententia, in pronuntiatione: in toto denique homine ipso, qui in Christi sacramento nuncium vanitati remisit. Natura enim duce ad veras & simplices actiones ferimur, ut in pueris patet, in iisque hominibus, quos Græci *εὐνοῖς* vocant: nō ad imagines veritatis, emētitaque inaniter rerum officiorūque simulachra. inde illud oraculum Christi apud Matth. Nisi efficiamini (inquīt) sicut puer iste, non intrabitis in regnū cælorum. quibus verbis, ut Ambrosius adnotavit in quadam Homilia, infantiam morum Dominus significavit, affectuūque maleficorū animi vacuitatem. Quapropter ab Hellenismo errorum præceptore, simulachrorum cultore, nugarum opifice, ad veritatis cultum atque simplicitatis, philosophia nos reuocare clara voce videtur, ut pote quæ theosophiæ germana sit & socia. At nunc ut mores in assimulationē verterunt, planēque inuauerunt, non amicorum, non ciuium, non virorum bonorum officium, ciuiles vsus actionēque: nec verò (quod præcipuū est) vnguentum Christianismi initiorum redolent: quo & caput & pectus, anticaque pars hominis Christiani, posticaque delibuta sunt. Amicorum dico mores & priuatorum? quid si ne magistratuum quidem, honorēque gerentium? quid si nec sacerdotū? heu pietas, heu prisca fides, etiam autem ne sacerdotū quidem? etiam inquam. Nisi verò non videmus passim, ē suggestu, ē loco superiore, pro cōcione, instituta Christianismi, exēpla continētia, sententias euangelicas mirificè cōmendari atque deprædicari: tum in studia avaritiæ, in honorem gerendorū, in cupiditatem rerum caducarum magno sudore, ingenti laterum contentione, Stentorea voce inuehi: & plerosque tamen eorum mox flagrare audimus infamia cupiditatis perditæ atque ambitionis, simul ut occasio quædam festiua candidam hominibus pridie squallentibus aut pullatis induit. Porro equidem progredi in religionem traxissem, nisi conspicuam rei indignitatem hoc ita clamitare cernerem, ut silentio prætermittere sine præuaricatione nequirem. Scenicorum, histrionum, ludionum actiones, pro veris functionibus legitimisque habere nos homines antitypocritæ clamittant. idque mores iam recepti non obscurè præ se ferunt, in profanis, in sacris, in apertis, in opertis. Age verò, quando cōsusque euectus sum trahente rerum serie, ut vel momi personam,

vel Aij loquentis assumendam aliquantisper habuerim, licet mihi illę nec humeris aptę, nec stomacho non ægrę sedere possint, hęc aut illam vt sustineam, hoc quoque in loco necesse est, ac si quando alibi fortasse scribendi ratio instituta id tulerit. Homines quidam primũ pauci, egregijs illi quidem ingenijs ac literis, sed liberioribus præditi, & tanquam ex asylo apertę, acerbę, atque vocalissimę conuiciantes, mores & ritus hypocriticos, (vtar enim eorum verbo) momicę asperitatis salibus perfricantes, nihil nec sibi propemodum reliquum nec posteris fecerunt ad imminuendam opinionem sacrarum functionum, lædendąque maiestatem ordinis consecrati atque consecratoris. A quibus audaciam mutuati alij deinceps atque alij ex turba hominum miscellanea, conuicium facere apertę non desinunt primarię hominum nationi, populũque imbuere eorum contemptione. eoque iam res euasit indignitatis & licentię, vt non tam pontifices nos habere partem quidem longę maximam, quàm propontifices dicant aut significant: (neque enim quę atrociora sunt, proferenda esse duxi) non tam præfules, quàm præfulares viros: non pontificatibus, non antistitiis, nõ primatibus in cœnobiis, non assiduis iustisque functionibus munera obeuntes, vt collegas & sodales: non sacris denique magistratibus, non flaminis, non archiflaminis fungentes, in sua sorte singulos atque ordine. Quanquam non propontifices tantũ singulos mortales (quod olim receptum est, ex quo assiduitatum venię, munerũque in æde Domini fungendorũ vacationes, in cõmercio hominũ esse cœpere) sed etiam propontificibus habemus, quasi Ianos quosdam geminos & tergeminos, aut quasi reliquias quasdam generis illius *ἐκτόυχιδος*. Hęc verò ab hominibus ita dicuntur, ad lienem vt fortasse exagitandum, non etiam vt ad præcordia pertinere videantur opinione imbuenda colendę sanctius religionis. Sed sint speciose dicta, nec abhorrenter prorsus à veritate, (licebit autem persona quoque Aij loquentis iam exuta, quippiã huiuscemodi rerum fateri in sinu philosophię). Spectamus enim & ipsi permultos eiusmodi sacerdotes, (vel in oculos illi incurrunt nostros potius) nihil aliud penę, quàm titulorum honorũque potientes, opimorũque fructuum: eoque nomine palam & cum ordinis inuidia sibimetipsis gratulantes, cætera nebulonibus similes, vertice tantũ summo nouacula perstricto, aut forfice libato in speciem capillo atque defunctorię. Vt igitur hęc esse vera quidam ex parte fateamur, tamen non tam culpę hominum, quàm

conditioni temporum tribuenda sunt apud æquissimos iudices. Nam quis mortaliū ordo in vita sic officiosè ac decenter constitutus est, vt huic ordini licentiam exprobrare infamiámque videatur? Quin & prisca innocentia multum debuit disciplinæ primùm adolescenti, & deinde iam adultæ. Nihil autem minus ferendæ est ætati, quàm disciplina morum rectè atque ordine constituta, etiam si semel iterúmque recocta sit. Eodè ferè pertinet, quòd pro monachis, & monachorū primis & coryphæis, fartiles ali dicuntur homines, quasi in macaron insulis, fruentes illarum redditibus opimis. qui legum canonúmque sanctionibus, tanquam præfidiis sacrosanctis, diligētius adhuc & certius asseruati sunt, quàm illa olim mala Hesperidū cantatissima. Felix hominum genus, quibus vt feriatis epulonibus, omniū maximè mortaliū, *ἄσπετα καὶ ἀνέροτα πότα φέονται*, quod est apud Homerum. En quò philosophia Christianismi delapsa est: id est, vt ipsi interpretantur, ab heroicis virtutibus ad ironicas ceremonias: exoletis iam & propemodum deletis veritatis rerum sanctitatísque vestigiis: si quidem ad normā priscæ seueritatis explorare res volumus. Monumenta tantum ad hoc cui asseruata sunt, clara quidem illa & memorabilia, ceterùm rari vsus aut etiam nullius: visendæque potius & admiranda, quàm æmulationem sui cōcitantia. mirum vt ad modum non sit fortasse, operum humanorum indicaturam vsque adeò euiluisse, eorum iudicio qui omnia fidei vni tribuūt. quippe quæ tectorio scenicæ hypocriseos inducta, intus sint inania spiritúque vacua. Ab Ecclesia autem Christi, si fidē, si charitatem veram tollas: quid iam aliud erit, quàm navis in mari æstuoso & scopuloso, prora & puppi cassa? Verùm vt ad rem redeamus: eiusmodi sermonis in vita ciuili, actionum subdolarum, ministeriorúmque artificia: tum ad veritatem adulterandam, tum ad officiorum vicissitudinē dolo malo inficiendam, inuenta & comparata: quàm è diametro opposita sint, non modò candori euangelico, sed etiam innocentiae moratæ, quis nostrum non clarissimè perspicit? cui quidem fraudem contendere cum æquitate vacauerit. Siquidem Christi Seruatoris doctrina eiúsque discipulorum, doli mali inter homines & vaniloquentiæ quoddam fuit euericulum, vt Ciceronis verbo loquar. At nunc æquo & bono imbuti mores, & simplicitate tincti pro nihilo ducuntur, atque etiam ridentur, vt exoleti & obsolescentes imperiti rerum homines: prudentiæque ciuilis & attriorum incolæ summam morum sanitatem vitium esse censer, vitæque incommodare. Lege

Lege autem veritatis promulgata, & charitatis, rerum mirificarum opificis: aqua & igni interdictum erat viciis contrariis simplicitati morum atque integritati, societatis ciuilis iura abrogantibus. Et veritas quidem ac sapientia Dei, tum plebem olim sibi circumfusam, tum discipulos suos alloquens, placida ferè & leni oratione utebatur: ad scenicos autem homines fictosque, ad versutiloquos & captatores, pugnacem illum sermonem, & altercatricem fundebat orationem, minacem insuper cum maledicto. Certè quidem Seruator nullum crimen frequentius contumeliosiusque obiecit, sermocinando cum primoribus sacerdotum, quàm assimulationem sanctitatis & probitatis. nec sibi inter hominum mores quicquam magis cordi esse, quàm apertam simplicitatem declarauit, cum æqualitatem in ordinem se cogente: duntaxat non vacuum cælestium rerum sapientia. At nos omnia exquirimus & consectamur figurata subdolè litæque tectorio vultuosæ versutiæ & præstigiatrix. Quid autem in vita ciuili atque aulica primarum, secundarum, tertiarumque partium homines, aliud quàm fabulas agunt, prætextatas, togatas, tabernarias & planipedes: choragorum vice fungentibus sensu communi & prudentia, designatrice fortuna? nam quanta pars actuum ciuilium & prætorianorum, quota officiorum priuatorum, pura est & vacans simulationis fuco, & vanitatis lenocinio? Neque verò veritatem in hoc libro, vtranque in partem testimonio nostro fraudare præuagatè sustinuimus: cum personam Aii supradicti induisse nos meminissemus. O vita, ἡσέ σε δούμων & ἀίετα κακῆ, morumque facies adulterina, germanas virtutes è medio sustulit. Magister ille populi procerumque mundus, mendosis actionibus inuicem circumscribere docet homines. at vetat id spiritus doctor, ad Ephesios scribens. Religio & pietas, eorumque diuersorium aut certè domicilium, prosopopœiarum theatricarum simulachris pro insignibus vasis plærunque exornata sunt, quod homines permulti palàm vociferantur. quæ simulachra colere nos oportet nihilo minus & venerari, siquid mei iudicii est, vt exuiis angusta & sacrosancta primordialis germanæque religionis. tametsi ij ex eorum numero sunt, aut ex eorum natione potius, quibus Christus semetipsum non credebat, quondam inter homines verba faciens, ideo vt Ioannes testatus est consiliorum eius conscius, quòd eos non minus intus aut non aliter in corde, atque in cute nosset, vtpote cui nihil prorsus occultum esset. Verùm his atque huiuscemodi multitudinis imperitæ ludificamentis, homines quidam prætexta fasci-

búsque spectabiles: quidam lituis, infulis, trabeísque insignes & venerandi, cum aut scitè vtuntur, aut appositè rationibus suis ad animi obsequium, non ad officii functionem subductis: fucum sese facere mortalitati putant, imperiorum maiestate adductæ, aut religione obstrictæ: cum reuera ludibria pietatis Christo Seruatori pēdant, pro cultu & obsequiis, munerumque sacerdoti functionibus seriis, & spiritu non vacantibus. Has veritatis imagines & sanctitatis, vtinam idolomastiges homines censura sua tantum notassent: non etiam Seruatoris diuæque eius parentis simulachra ex æde Domini deiecissent, contra morem maiorum. Sed enim vereor lege vt agere euangela iam liceat ad subsellia ciuilis iudicii, non tantum communis & togati, sed etiam prætextati & infulati. præcipue verò ad confessum prudentiæ, quæ maioribus auspiciis subnixa est & stabilita. quæ etsi iuri multum tribuit honorario, æquitatem tamen eius iuris affinem aut sustulit, aut magna ex parte deleuit & antiquauit. Age verò, naturæne instinctu, an æmula procliuitate euenit in mores recepta iure gentium, vt in suo quisque ordine cupiat, conetur, & gestiat primam classem ducere? vt primas ferre partes honoris & compendii? & cum id ex animi sententia cuipiam contigerit, ille vt in proximum protinus ordinem sursum versus adoptari, & deinceps in alium aliūque aueat, scansili serie ambitus & perpetua? nec verò antè auere & discupere desinat, quoad in præcipientem tandem altitudinem ardor cupiditatis euadat? Atqui horum hominum sitim ardentem extinguere difficilius est fortunæ, omnia in spem cadentia iis largiendo, quàm gliscētis incendii vim sistere guttuli stillicidio. Quanam igitur parte hominis, circuncisam vitam esse Christianam dicemus? Vbi autem illa cordis circuncisio, cuius commēdator est idem Paulus in epistola ad Romanos entheo spiritu in primis scripta? vbi porro pura voluntas? vbi facta rectaque mens hominis à spiritu cupiditatis improbæ? An corde tandem circuncisi sunt, qui sibi finem quæredi possidendique, qui fastigium attollendi modum præstituere nequeunt? Non ignoro hæc & huiusmodi acroamata, aurium non esse ciuiliū, nedum prætorianarū: atq; haud scio an nunquā fuerint, nusquamque. Quare mihi met ipse hæccano vel philosophiæ iam sæpe dictæ potius, cuius vix tamen ipse limen summo pede attigi. Inde autē est illa Sirenenata, omnium pellacissima, auctoritas & imperium in summo actu rerū tum sacro, tum ciuili: quæ homines non perlicit solum ad sese & pertrahit: vnde nomen inditum Sirenibus: sed transuersos agit etiam, porroque

in Charybdin rapit plerunque, sitis bonorū atque honorum inexplēbilis. Quem sanē ad gurgitem cupiditatis qui penitus rapti sunt, intrōque mersi: rarissimum est postea existere vt denuo possint, indeque emergere, vt legum iurisque meminisse velint, aut diuini aut humani: ne mortalitatis quidem illi in rebus rationem inceptandis & exequendis habere, nedum immortalitatis. Hæc fors vitæ idola aurea & argentea colit, ex iisque numina sibi aliena à Christo Seruatore facit atque abhorrentia, vt manifestum est animaduertentibus. Neque id quidem modò, sed etiam assensione obnoxia atque clientelari, atque eo amplius, assentatione quasi parasitica, ordinis hominum prætextati & infulati, diuinos honores propè dixerim adepta est, vt ἰσοθῆτος, hominūque fortunatrix, in quorum ordinum sententiam togata multitudo & militaris, pedibus non dubiè trans-euntes: illos in catalogum si non semideorum, certè τῶν ὑποδραστήρων referre non dubitarunt cultu atque supplicationibus. Quapropter hæc Siren quanlibet penatium censuūque amplificatrix: quanuis hominum ornatrix atque beatifica: velis tamen & remis sapienti fugienda est, æternorum tantū bonorum admiratori & verè idolomastigi huiuscemodi simulachrorum, quæ ἰσοθῆτος coli sine scelere nequeunt. Et quidam talis actus vitæ, quo florentior apparet oculis theatricis, eo minus fructus habet iudicio philosophiæ, prophanæ quoque, rerūque diuinarum nesciæ. Siquidem qui rerum potiuntur, qui fata regunt cuiusque prouinciæ, & cupere ipsi solent & satagere magis deinceps atque magis: augescētēque indies captura, auiditate, vehementius affici. id quod si in ordine equestri apud Deum capitale, in senatorio sceleratum est ob idolorum cultū quæ in corde circumferuntur: id in natione sacrosancta, à curaque rerum externarum euangelicis institutis summotā, quo nomine appellabimus? Scio me paradoxa scribere, atque etiam antidoxa vitæ in medio positæ, ad quam ratio mea comparata est. Sed actus quoquomodo peragēdus est, quoad personam posuero, quam mihi ad scribenda hæc induit amor atque admiratio germanæ philosophiæ, etsi perleuiter mihi exilitérque cognitæ. Hoc dico quod fando audire aliquando memini: si quorundam hominum ex eo ordine insolentia, fastus, & cupiditas à regno Dei abhorrentia, tantum apud superos Nemeseos, apud inferos plausus excitauere, quanta apud mortales inuidia flagrare memoria nostra superiorēque cœpere: causam nullam videri, cur tam beati putentur esse & æmulandi à nobis, quàm titulosē & obseruanter salutantur à multis. Christus

l. j.

æquabilitatis vindex atque ciuilis isonomiæ, diuitias & fastum in ordinem redegit : tum extorres regno suo & ciuitate domoque esse iussit : & verò in penates suos illos æternos patriosque , vix admissum iri palàm eos contestatus est qui copiis affluerent . Quocirca res supra modum secundæ, quæ oculorū nostræ mentis aciem splendore suo præstringunt , nullo penè loco numeroque rerum expendarum, iudicio hominum iuris diuini consultissimorum, habitæ sunt omni ætate. Verùm vt est peruersitas sensus humani, multa & centumviralibus iudiciis, & senatusconsultis , atque etiam Areopagitarum sententiis , inter prima & præcipua censa sunt, quæ philosophia diuinitus instituta ad quintam classem reiecit. Sequitur & alia Siren, sæpenumero comes aut socia superioris, vel verius secundaria. rationem enim suam habet ab illius seiunctam, sed tamen secundum illam illecebrosissima, exaggerata titulorum nomenclatura, supra ordines erigens quorundam fastigium, cùm æquationis ipsa (vt superior) nescia, tum verò æquè in obliuionem mortales atque ignorationem sui aliorumque adducens, quos carminibus suis affecit. Constat eius hypostasis nitore & lautitia vitæ : extructis principem in modum mensis, opimo victu, Syracusanoque & adipali, cœnarum adiicialium abaco, instrumento Luculli conuiuatoris splendido & redundante. Huius fastus appendices sunt, tum hæretis vestigiis clientelæ manus ancillans, ad omnesque nutus supparasitans : tum comitatus multiplex atque miscellaneus , regem suum pastoremque stipantium gnathonicorum philosophorum. In huius comitatu & familia quosdam quasi seruos ab oblectamentis videas, quosdam à ridiculis , à fabulamentis , à cauillationibus, nonnullos etiam fortasse ab obrectationibus , aut scommatibus ridiculosis, sed aculeum ignominie relinquentibus . Mitto qui à variis esse solent tacendisque voluptatibus regi parasitico : nullum vt sit tempus , quo tempore non scitè, & tanquam frugaliter conteratur otium , quod habent pro negotio beati illi homines & copiosissimi. vtpote quibus ad procurandum genium, propositi sui summam vitæque instituti applicare vacaret & contingerit . nulla etiam vt sit (significantius enim loquar) eorum fruendorum intercapedo, quæ prudentiæ mundi bona & expetenda videntur: contrà sapientiæ cælesti, mala & auersanda. Heu perditas vitæ rationes (iterum enim & sæpius paradoxologiæ indulgebo animo meo obsequens) heu pessimè meritos mortales de potiore parte sui . Felicè mne hanc vitam , an flagitiosam esse censemus ? Heu prudentiæ nostræ dictata

exitiosa, atque anteuangelismo planè congruentia. nisi verò hominis est euangelium exosculantis & amplexantis (vt Græci dicunt) *πρότερον τὸν βίον διανοοῦσά τε*. Iussusne optare vir verè prudēs, à Deo quicquid vellet, hanc sortem vitæ peteret? cæcum vitæ ciuilis atque in celebritate positæ, consilium & propositum. Quid enim? mentisne compotes sunt rerum diuinarum æternarumque consciæ, qui huiusmodi vitæ æmulatione ducuntur? At beata nobis & æmulanda videtur vita opibus circumfluens. Nam quotusquisque hominum paulo nauiorum vacat eo crimine, eorum quidem certè qui in eo peccare poterunt? Cùm interim improbissimus quisque huius peritor conditionis, perditæque ambiens, tamen vt Cæsaris candidatus simulet se petere. Quotus autem quisque nostrum meditatur, aut meminit in vita instituenda, decantata illa paradoxa, oraculæque certissima cælestis sapientiæ, Beati pauperes spiritu? & quæ sequuntur. Immo verò quis non pro paralogis habet, nō modò pro paradoxis? Quis porò illud non modò philosophicum, sed etiam philostauricum attendit, eodem ore veritatis pronunciatum, Beati qui persecutionem patiuntur? At hæc sunt verba Christi, vnigeni filij Dei: patrimonii sui opimi atque beatissimi auctorem facientis præconio exaudibli, atque etiam olim exaudito per vniuersum orbem. Quid igitur tam discrepat ab suo opposito, quàm professio nostra dissidet à vitæ proposito? Nam cùm nos omnes Christigenarum professione gaudeamus, cùm adoptionis cælestis iura habere nos gloriemur, ab altero natali manantia: paucissimi tamen nostrum ea licenda tanti ducunt, quæ æstimari humana mente nequeunt, ac sub admirationem tantum cadunt, quanti ea esse putant, quæ cùm suapte natura spernenda sunt, tum precario solum iure obnoxioque possidentur. Nimirum Sirenium Stygiarum carminibus aures hominum obsessæ ac delinitæ, monita veritatis, hortamenta que cœlestia, vt iis contraria respuunt. illudque est scilicet præscitum prædictumque propheticum, ab illo euangelistarum vertice quodam loco citatum, Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Quo brachio vis ac virtus sermonis euangelici significatur. Quare fides, tametsi in omnium sermone est, ac per ora populi, senatus, atque equitum volitat, vt festiua & amplectenda: iustam tamen hospitalitatem, atque etiam iusta longè inferiorem, in corde perpaucorum inuenit è multitudine delectorum. iisque demum Iesus sese indicat vt discipulis suis, manifestoque ostendit, vt est apud eundem, cap. quartodecimo, non etiam mundo, id est potè-

l. ij.

tibus, copiosis, & illustribus, à regno Dei abhorrètibz: qui mudi sunt ipsius decus & ornamentum. Siquidem procerum motus hæc cuncta sequuntur: humanū paucis viuit genus, vt apud Lucanum Cæsar inquit. Agè, quid habent iam mores simile conditioni hominum & habitui, ob noxam admissam intus ægrescentiū? Quid vel tantulum habet vita moribus hominum instituta, mœstæ lustralisque pœnitentiæ, quæ nobis indieta est, edictoque perpetuo iniuncta? nam sterno-typticam istam, quasi que histrionicam, qua in speciẽ vtimur more quodam solèni, nihil moratur Deus, planctus est enim Pharisaismi, atque etiã Hellenismi verius, quàm expiabilis resipiscencia Christianismi, atque præcordialis. Potèstne igitur quicquã è diametro cuiquam magis esse, quàm hilaria perennia, ærumnosæ vitæ opposita sunt, & velut cruci affixæ? Atqui hanc Christus ipse Seruator & Dominus, christis suis denunciauit, id est nobis omnibus genitali spiritu rediuiuis: idque imperandi verbis, atque in formulam iniunctæ necessitatis conceptis. quippe qui crucem suam tollere vnumquemque iusserit, qui quidem iisdem vestigiis aut eorum æmulis, viam in cœlū post ipsum affectarit. Hic aqua illa purifica, vetustique hominis expiatrix, hæreat necesse est: nisi crimen hoc esse capitale fateamur, cuius criminis comperti longè plurimi mortalium, & manifesti sumus. Ita si pœnam deprecamur æternam, ad aram nobis misericordiæ rectā confugiendum, omnibus quidem illam nunquàmque non patentem, sed resipiscantibus. At verò qui resipiscunt, stultè sese de semetipsis consuluisse perperamque agnoscunt. id quod in primis necesse est vt faciant; qui Sirenibus mundi sese pertrectandos dederunt, atque deliniendos. Meminerint autem (quæso) semper lectores, huiuscemodi disputationes ad vulgus non valere, putentque intra porticum philosophiæ, à qua tamen procul absum, hæc à me dicta esse, non in atrio honoris, non in officina ciuilis cupiditatis, non in campo honestæ ambitionis, non in conuenticulis alumnorum sensus communis, cuius alumni sumus: quod ineptire planè esset, non commodè & appositè tantis de rebus differere. Proinde qui Christianismi dogma sociare cum Hellenismi atque gentilitio sperat, id est cum Aristippeo, circuncisionisque præcordialis nescio & exorti, is (vt opinor) non diffidet, se cauum à conuexo dirimere etiam posse, aut vtrobique operam ludere non grauabitur. tametsi illa non difficiliora sunt fortasse, quàm à Christi cruce difficile est ærumnarum agmen, rerumque aduersarum molestiam dissociare. At verò sine cruce Christi ad beatam vitam subuolare, eos demum

credendum est, quibus æterna diuinitas gratiam Adraastiæ legis fecerit. qua lege pater ipse cœlestis, filium suum teneri dilectum & vnigenum ante omneis voluit. Quo apparere potest quanto in errore vita versetur, & promissorū Christi in quanta diffidentia: qua nulla maior esse insania, nulla capitalior culpa potest. Me miserū cū hæc dico, & vt dico, sentire etiam cogor, ita enim viuus vidensque (quod dicitur). sed reliqua ominari vereor. Verū duæ iam dictæ sortes vitæ, earūque Sirenes, rerum fluxarum temporariam possessionem, perpetuam faciunt destinatione mentis, cotrā quā hominū natura, rerūque ipsarum constitutum est. Vsum etiam & fructum peculiarem & precarium, vt suum, vt liberum, vt propriū, atque optimo iure possidēt: cū nihil non profectitiū, nihil non temeritati obnoxiiū casuīque, habere nos sciamus. exitialis tamen est eorum securitas, qui dubias cœnas ructantes, redditus consecratos & fiduciariorum, iure vel potiore, vt sanctos, vt Domini nota insignibūque impressos, vt profanis manibus intactos, quā auita patrimonia possidere se ducūt. nempe quasi in referendis rationibus eadem conditione futuri sint homines pecuniosi atque peculiati. Hic hic atrociores, hic existūt, ordinis illi dedicati obtrectatores. Quid enim (aiunt illi) futurum est tandem, si ij qui sese christos Christi esse præcipuos, ac penē solos perhibent, & tanquam è cōhorte Seruatoris prætoria, aut principe ac signifera, genialibus sacris initiati magis esse quā Christianis, videri non verentur? Quod si redūdantes copię nusquam non ferē, nunquāque non incommode, hanc deformitatē faciunt in atrio sacrosancto, quod hactenus sartum ac tectum ab omni iniuria, Christi reuerentia præstitit: quem tandem non subeat impetus, si non in eorum sententiam transeūdi qui licentius quā par est censorium stilum adigunt, vel momicum potius, in eximium ordinem: tamen secus de illis existimandi? Quem etiam non nihil censendi de cornu illo copię tandem exhauriendo, quod plenius fit indies & tumentius, decedente innocentia? Audiant igitur ij ad quos ea res pertinet, audiant (inquam) fremitum Aij Locutij, ne fortē ad secessionem spectet haud aspernendam, ad nationisque sacrosanctæ exuendam fœdē reuerentiam. aiunt enim (vt est huius temporis confidentia) vel vociferantur potius, non antē redituram religionis constitutę faciem spiritūque fortasse (si quando rediturus est, iūsque habiturus postliminij,) quā fastus & cupiditatis sportæ, vix scias superfluentes magis an perfluentes, ad sportulas redierint ciuiles

l. iij.

aut canonicas. tum demum enim fore inquiunt, ut quod nunc paucis satis esse non potest, plurimis sufficiat isonomiæ beneficio, proportionem quidem geometrica attemperatę. Verum hæc & alia eodem spectantia, mox forsitan viderint ij quorum est inspectio summa pecuariæ Domini, atque etiam vineæ rectę atque ordine repastinandę & excolendę. At etiam ne qua indignatio desit (quod si palam dicere religio est, hinc tamen infodiam) ex istorum natione præcipuè esse dicuntur, qui nulla exempla beati pauperis esse putant, iuuenēsque hortantur ut illam ire viam pergant. Quos tamen (ne stomachentur æqui animi) aut eorū permultos, ita mortē obeuntes videas: tantis ut ex copiis, egentibus exiguam stipem, propinquis atque necessariis legata præcipua æris alieni relinquunt. Agē porro, quis nunc natalibus vel obscuris ac plebeis ortus, si maiore quodam fato præditus, sericum sese filum aut purpureum vnum, sortitum esse in colutrium sororum experiri cœperit, vel augurio liberalioris spei atque festiuioris, in animum induxerit: nō statim titulos gradibus scandere in cœlum glorię theatralis nititur, in ordinemque semetipsum beatorum omni ope adoptare, & mox in collegium semideorum? Quis hominum fortunatorū non prandere videri vult ut Crassus (quod aiebant) & cœnare? non ut Lucullus ædificare? Quis superuacaneos census, annuósque proventus, in statuiis quæsitos cupiditatis: quis emerita ambitionis stipendia, eiúsque germanæ sororis & vterinæ, quam ἀνθρωπολογερίαν vocant, non in delicias, in voluptatem, non in saginam denique vertit inertium amorum: in farturamque conterit desidiam, quam Sirenem improbam vocauit Horatius? Hæc equitem, hæc populū, hæc sacrum forma senatū, excepto sapiente tenet. Quis verò rursus non intelligit, non videt, non perspicit, Colosseos quosdā homines, stipatos clientelis agminibusque succinctos, quo vulgo putantur beatiore, quo religiosius adeuntur à multis & coluntur, eò inuisos magis esse vulgo, suisque interdū cultoribus, turbæque circumfusi, ob tædium obseruatię, eorūque fastidium? Eò verò propius sæpe abesse à furiali illo conuentu, ubi Tartarus ipse bis patet in præceptum tantum, & quæ sequuntur: quo magis in cœlo esse (ut est Latine loquendi consuetudo) iudicio populi ordinumque existimantur? Multa certè moribus hominum, rumore secundo plausūque excipiuntur, in theatro vitę vrbane & atriorum: quę in regno Christi quo de regno nunc loquimur, aduersante numine fieri nemo negare potest. Quare animaduertere lectores oportet, non

pręcepta me vite, non hortamenta his commemorandis scribere, quorum in primis egens ipse sum atque insciens: sed in rebus huiusmodi potius cum lectore non quolibet, animi causa animęque commentandis, æstimare, quàm e diuerso vita, atque etiam e regione comparata sit ab ea ratione disciplinę, in quam disciplinā iureiurando adacti sumus ipsi iustitico sacramento. Potestne tandē homo nouus, in officina diuini spiritus reconcinnatus, sine scelere hæc expetere, ea omni ope consecrari: quę spiritus illi Stygij, cupiditatis, ambitus, elationis magistri, vt regni sui ac tyrannidis firmamenta, in mundum introduxerunt? Atque ex eorum quidem hominum natione sunt Lotophagorum procures: qui in imum maris sidunt, asinaria mola premente ceruices istas: quanuis arduas, superbas & inflexas. ad quorum fortasse sortem Christus humilitatis decus euangelico tropo allusit: tanquam in mari merfi curarum terrenarum & inanium, cælum iam ipsi suspicere eternitatēque nequeant. Idne autem satis animaduerrere possē videntur aut meminisse, partim qui honores sibi ciuiles, donatos fortunę beneficentia, non creditos esse censent cælesti prouidentia: partim qui pontificatus, antistitia, alięque sacerdotia, (sic enim nunc redditus annui, non munera officiosa ministerięque vocantur) non fidei commissa antiquę pietatis esse interpretantur, sed legata quędam ludicra iucunditatis, ad vtendum, fruendum, liguriandum relicta: ad curandūque aliās molliter oblectandūque genium? Hi sunt qui in altissima securitate eterni æui quęrunt, & tanquam optimis ab auctoribus & locupletissimis accipiunt, ea bona, quę in nullius hominis mancipio sunt, etiam si esse cęperunt iandiu in commercio. Cū interim ij quos ipsi auctores laudant suos ac largitores tot tantorūque titulorum, in pari aquiescant maioręque supinitate. nempe tanquam prędibus ac prędiis (vt dicitur) & Seruatori ipsi, & populo plebique animarum, cautum sit huiusmodi liberalitatibus. Scilicet ius & fas nomina monosyllaba, honori haberi non magnopere solita sunt ab ordine grandium mortalium, insignitęque extantium super æquabilitatem ciuilem. Et verò classes etiam ipsas, & populum (vt verum fateamur) in ordinem magis cogit, atque ad æqui bonique reuerentiam redigit, tenuitas fortunarum atque mediocritas, quàm Domini timor, Christianismique pietas. Iure enim ciuili gentiūque, quo iure nominis quoque Christiani, vt quondam, fines adhuc reguntur: mortales fermē omnes tollunt animos submittuntque, pro modo & captu fortunę

l. iiij.

fortunarumque. Quin & ex euentibus rerum splendidis aut obscuris, æqui plerumque homines atque iniqui fiunt: ne gratuitam putemus fortis fortunatricis benignitatem: ut mirum non sit, tam arduum esse diuitibus & copiosis in regnum Dei ingressum, quod Dominus olim testatus est. Aliud est etiam & prorsus diuersum ipsius fortunæ hominumque consilium & institutum. Siquidem apud eos quos bonos æquosque credimus, bona nostra deponere solemus & gaudemus. Illa verò aleatrix cæca, surda, volubilis, & præceps consilij, libentius sua commendat malis atque nequitia præditis. quippe quæ iniquos homines (ut dictum est) facere, atque improbos, ex æquis bonisque consueuerit. Aristoteles quodam in problemate ludibundus, quamnam ob causam (inquit) paupertas frequentius ad bonos diuertit, quàm ad malos? Nempe quòd cum omnibus inuisam se norit esse, bonos tamen melius sese & commodius vsuros intelligit: ut qui mala vertere in meliora noverint. id quod philosophia quoque carminibus suis facit in moribus hominum, qui quidem eam audire sibi persuaferint. Verum monstra iam dicta illecebrarum iisdem parentibus orta sunt, cum anxio corporis curandi studio, & incuria mentis. ex eoque fonte error ille manauit, qui per orbem effusus veras ac germanas virtutes adobruit Christianismi, ritus antiquos obliterauit, æqualeis actionum mirificarum. quibus tamen virtutibus fidem magna ex parte abrogauerunt ætates deterrimæ, morisque degeneres Christi adoptiuorum. Hic enim uero præterire Sirenes reliquas statueram: sed earum vna præstò sese sistens, in oculosque incurfans in auresque, præuaricationem obiicere mihi visa est, aut crimen obliuionis: præsertim quòd hoc tempore magnum ac numerosum post se trahat comitatum, nitorisque conspicuum, & luxus elegantia. est autem illa, summa venustate ac lautitia prædita, germana Cupidinis: cum omni ipsa genere lenocinij ad animos perlectandos instructa, tum Veneris cesto succincta, carminibus Homeri nobilitato *πικίλφ. ἐνθα ὅι θελήτρια πάντα τέτυκται. ἐνθ' ἐν ἡ φιλότης, εἰ δ' ἡμερῶ, εἰ δ' ὁ ἀρεῖς, πέρφασις, ἢ τ' ἐκλεφε νόου πύκα πὸρ φρονέοντων.* Huius Sirenis carminibus, sexus uterque hominis afficitur non ægerrimè. Hæc omnes Veneris sermocinationes, gestus, appellationes, tactus, affectiones, nutus, petitiones, lusus, proteruitates nouit. eiusdem disciplina ludibundos aspectus, oculorum coniectus, nictationum prolusiones, Veneris lacestandæ præludia complectitur. omnes denique amoris licendi emerendique sermunculos, verborum velitatiunculas,

urbanitates, lepóres, discipulos suos docet, qui ad ludum eius ventitant. ad summam, hæc Cupidinē ipsum eiconicum (vt dicitur) ethicūque effingit & exprimit. Huiusmodi porrò lenociniis actuum, vultuum ac verborum, totiúsque corporis affectuum, vernaculis & nostratibus, satis quidem illis acribus atque proteruis, suauiterque aculeatis & vrticosis, accessit haud ita pridem rhythmorum Italismi genius, tanquam ars quædam venustæ dialecticæ, & Cupidinis eloquētiæ, lepos orationis amatoricæ, Pithò hypocritica, omnium philtorum vim superans: depereunteis amatores simulans, animósque despondenteis ecstatici amoris insania. Huiuscemodi cinctu virgines & mulieres complusculæ ornatae, atque ad certamen iucundissimum accinctæ, eoque sibi ornatu amantibusque placentes, venditatione sui gaudent iuuenum æmuloꝝ, esse se in magistræ, in heræ, in dominæ mancipio (sic enim est hominum oratio) certatim profitentium: tum dedititios sese deuotósque clientulos adiurantium: non tam sancto forsitan serióque, quàm proteruo venustóque iureiurando. Seruili enim auctoramento certant æmuli aut priores aut primas herilis amoris promereri: sicque maecti esse gratia, quæ summa est votorum amantium. Huius & illius obseruantia indulgere, atque ei addictum esse vocant, qua cum negotium habere ocii instituerint, amorisque commercium: & verò (si Seruatori placeat) seruitutem seruire conditionis dedititiæ, nexúsque Cupidinis. Hoc autem (quæso) homini sacrorum initialium memori, vtrum est vitam inter Christigenas spiritu vernantes agere, an inter Adamidæ veteris hominis deliciis indulgere? exuuias abiectas contra fidē sacramenti resumere? perennes verò ferias vanitatis proteruissimæ instaurare post resipiscentiam? Quotus porrò quisque, quotaque, hac Sirene non caperetur quam Iuno Homerica, etsi candidis vlnis amabilis & eximia, tamen à Venere quondam vtēdam sibi esse rogandam existimauit: cum Iouem suum amore præsentaneo acríque inflammandum haberet? Non sum nescius ista urbanitatis causa sæpius, exexcendæque animi causa facundia, atque proteruitati honestæ, quàm ad Veneris patrandaæ spem fieri: ideóque in mores recepta esse hominum, pro negotio iusto ocium quouis modo deliciarum conterentium. & quidem sine intertrimento integritatis puellarum ac matronarum, plerunque id factitari videmus. Sed tamen eiusmodi vaniloquentia, auribus circuncisis atque euangelicis tam putida est, (quarum est hæc auscultatio) vt inter Iudicrum certamen seriúmque, nó ita multum interesse videatur. Nam

vrticam feram qui tractant incautius, vredinem tandem sentiunt. Vtrobique etiam ludicri designator, commissor, applausorque, nefastus est genius, ex amantibus interdum amantes efficiens: atque in occasionem semper imminens catastrophæ atrocioris, quàm vt eò pertinere posse & euadere institutus actus placidè, lususque videatur. Quod si oculi quorundam hominum fascino afficiunt eos in quos incubuerint: limos illos aspectus & proteruulos, subassentientesque respectus, nec hebetes esse nec inertes sanè credibile est. si tamen illos aspectus appellare debemus, qui oculi sunt verius emissitii: secum deferentes partem animi, vicissimque assensus non nihil referentes. Adde quòd aliis quoque modis vrbani- tate plurifariam lenocinante, eiusque institutis, virginum mentes & matronarum aliàs incorruptæ, nonnunquam afficiuntur, vt parcissimè loquar. Certè aphrodisiorum ceremoniis quamlibet in mores hominum receptis deliciis studentium, dissentientes sunt admodum ritus initiales Christianismi. In vniuersum verò vrbani- tatis affectationem in sermone nimiam, quod iuuentutis lautæ & elegantis præcipuum est studium: Apostolus ad Ephesios scribens, σαπὲν λόγῳ appellat, quasi putrem sermonem & marcidum. est autem putre, quod iam vsui nullum præbere potest, vt inquit Chrysostomus in epistolam eiusdem ad Timotheum. Putris est igitur & quasi vermiculosa in Christianismi disciplina, in homine spiritu imbuto & numine, huiusmodi lepos aut proteruæ aut aliàs improbæ ac maleficæ vrbani- tatis & comitatis: vt denique vetusti hominis exuiæ, abiiciendæ procul, non modò deponendæ. Tales sunt igitur per- multæ animarum plagulæ, tum apertæ, tum cæcæ, ideòque magis cauendæ, ab illo quidem animarum aucupe & captatore in mun- do dispositæ: minimè autem nobis suspectæ atque formidolosæ. Quibus tamen captandis atque irretiendis oculū ille adiecit toruum ac Titanicū: si quidem aspectabilis esset oculis mortalibus. sed ciuilis hic sensus, vulgiuagæque prudētia, plausus captans theatricos, captio- nis horrēdæ securitate gaudent: totaque aut plurima est mens hu- mana in cura rerū nihil ad animorum conditionem pertinentium: quæ vtranque in partē ipsa, futura est sempiterna. Certè si planè & ad verū loqui licet (vt iā dictū est) in aure philosophiæ pudor, pudici- tia, modus, modestia, candor morū & germanitas, officiorū puri- tas, de gradu deiecta sunt existimationis priscæ, propemodumque prostrata: ius & fas obtrita sunt, atque etiam hypocrisi cōscelerata, si quidem ad amissim mores explorarentur euangelicam. Hæsitantia

fidem, contemptus religionem, licentia perdita Dei timorem excepit. Vnde autem abest offendi religio, vnde Dei reuerentia, equis ibi dubitat examen insidere crabronum Stygiorum, homini intestino mordicus perditæque inhærentium? Mundus igitur (quod mirari philosophia sæpius dicta, & miserari possit) frequentissimè habitatur ab Tithono illo, homine veterrimo, Hellenismi alumno: in veritatis disciplina Christianismique dormitatore & veteroso, etiam intra pomœria sanctissimæ ciuitatis. Rarissimè autem idem mundus incolitur ab homine rediuiuo, manûque cælesti recocto atque reconcinnato, quem spiritualement scripta sacra à spiritu genituali nominant. Atque eiusmodi sunt beati illi designati, ab æuo in album relati destinatricis prouidentiae, veræque Christigenæ, qui sensui communi assensionem semel renunciarunt, atque optima fide. pro iisque demum Dei filius apud patrem deprecator esse voluit, eosque in fidem suam à delectu è mundo factò, in patrociniûmque suscepit: vt non mirum sit, tametsi valde dirum, paucos esse electos, qui aures habeant ipsi veritati & sapientiæ efficaciter exaudiendæ. Proinde mundus est, à quo Iesus ipse Christus, Deus idem & homo, existens alienus, alienatos quoque suos voluit, (quod eius ille seruus à manu, testatus est) quanquam in meditullio orbis terrarum natus esset. Hic idem est ille mundus, cuius sapientiam meram esse stultitiam apud superos, cælestium ille rerum ac diuinarum Paulus non tantum auctor maximus, atque interpres consultissimus, sed arbiter eo amplius & spectator quondam factus, testis est grauissimus, ac summa fide præditus. Denique mundus hic est, cuius sapientiæ genius, Argus est in rebus temporariis & opinabilibus: Tiresias & Phineus in æternis, ac certis certioribus. quippe qui spiritus sapientiam quæ cœlitus delapsa est, ineptiam esse putet, & vertat in viciû exstimatione sensus communis & lucifugi: quod idem auctor ad Corinthios scripsit. Quapropter & germanæ virtutes, & solida solum bona, meritissimòque expetenda: & verò velis, remis, equis (vt aiunt) persequenda iis qui sanæ mentis sunt: à vita tamen ciuili atque urbana veluti repudiata, è medio summota sunt: idque comitiis (vt ita dicam) curiatis, tributis, centuriatis, equitum populique assensu: nec verò sine senatus, sine ordinis amplissimi luculenta auctoritate, cum profani, tum verò sacrosancti: succidantæque pro illis recepta sunt, imaginaria bona, falsa, & adumbrata. Ita ad prudentiæ humanæ scita atque dictata iam reuoluti sumus, quæ à Christo Seruatore confixa palam atque traducta, omninoque abrogata inter suos

fuerant, vt è faucibus Orci enata, vt oraculis refragantia cælestis sapientia. Atqui stultitiam ipsa summam humanæ redarguit sapientia, & porro amentiam illi exprobrat & væcordiam. Ita in eiusdem fide atque auctoritate, nisi in huius maris traiectu, consilia vitæ sita, rationumque nostrarum summam subductam habuerimus, constantérque collocatam, (id quod Themis iam dicta, auctor est ad oraculum eius religiose adeuntibus) ad portum aspirare quî tandem poterimus Colonia beatissimæ, aspiraturósque sperare nosmetipsos ad extremum? Cùm autem ita ferat & ciuilis vitæ tenor, & in celebritate versantis vel vrbica vel aulica ratio, ac mundi iam sæpe dictum magisterium, vt solertissimus quisque hominum & acerrimus, à pueritia protinus, aut certè ea ab ineunte ætate quæ in medium proferre sese potest, speciménque indolis suæ dare, ad speculum vt semetipsum affingat communis sensus & prudentiæ: mores etiam suos comparet, corporis affectus, vt æmulos eius & simiolos: meritò inde euenit, eiusdem vt nutritij alumni, nutritisque eiusdem vberibus lactati, eodem quoque lacte erroris imbuantur. Est autem hæc disciplina sic moribus propemodum constituta, atque si præsultrice stultitia & chorum instituyente, iuuentus magno studio restim perpetuam neceret, singulique certatim ad eam se adiungerent, tum eundem orbem voluerent erroneæ disciplinæ, à sapientiæque deuix. Quam vitæ stultitiam Democritus olim risisse, alter ille è contrario desleuisse dicuntur. Cæterùm Threnodus vates Hebræus eandem lamentatus est miserabili carmine, non iam vt ineptiam & stultitiam, sed diram planè vt amentiam & væcordiam. Quod utinam satis animaduerneremus, vt rei tantæ par erat animum incumbere, curæ haud dubiè antiquissimæ, omnibusque præuertendæ. Nā quid aliud penè omnes agimus, vitam ciuilem ambitiosamque agendo, nisi post lotionē lustralem, certatim & studiose ad illuuiem redimus? Verùm philosophicę exhedrę atq; abstrusioris huiusmodi est commentatio, non disputationis symplosiæ atque exterioris: quod sæpe nobis contestandum est. & quidem, dixeris hæc inter varicosos centuriones, Cōtinuò crassum ridet Vulpeius ingens. Quāquam quid dico inter centuriones? immo verò primores inter ordinum, inter vertices populi, inter decora reipublicæ, hæc & similia astruere si cœperis, confestim tollent equites peditésque cachinnū. at hoc quid est aliud quàm comicus risus in tragœdia atrocissima? An Deum diuósque renidere censemus, nobisque arridere, cùm in vineam Domini semina transferri videntes, aut ex campo ambitus,

aut ex hortis voluptatis, aut è seminario hominum sacerdotalis innocentie famam agnoscere verecundantium, in eo nos cauillandi argumenta libentes arripimus, ridiculisque gaudemus? Homines in amore Christi riuales, vt inter se amantissimè affecti sunt, ita Christi æmulatione præditi, vicemque publicam dolentes: minimè ista risu, sed gemitu potius prosequuntur, malisque omnibus. Hic etsi vereri subit, ne mihi in hoc opere vitio vertatur philhomeria (cuius tamen crimè diuus Ambrosius in explanatione scripturæ, in sermone de cruce minimè veritus est) versuram nihilominus iterum faciemus ab eodem ipso poëta, nec importunam (vt reor) nec vsura dispendiosa. Vlyxi igitur iam dicto, non polytheie quidem ipsi, sed orthodoxie alumno, cui nonnulli arbitrati sunt ad significationem prouidentis hominis nomen esse inditum: ego verò ab etymo nominis coniecturam faciens, viatoris nomen esse philosophi censeo, de salute sua bene in via, sociorumque merentis. Verùm illi Vlyxi hoc magnopere videndum, ab ipsis ne Sirenibus in transitu ita retineatur, salutem vt suam posthabendam esse amœnis digressionibus viæ compendiosæ & salutaris, cum vulgo mortalium omnis generis atque ordinis, sentire videatur. Et quando tamen homini liberarum non vulgariū amantissimo (ad id enim genus tantum hominum habere me nunc sermonem ipse memini, testatumque volui) in vastissimo pelago oberrandum est, eodemque pleno Sirenice perlectamentis: exemplum ab illo ingeniorum principe, & simul auctore summo philosophiæ vetustissimæ, rogandum est nobis vtendum: vel sumendum potius occupationis iure: si quidem tenere nos formulam vsurpandi iuris huius potuerimus. Et olim quidem illa tanta, tam ampla copia, tam variè locuples, in medium exposita est: & tamen adhuc libata potius ipsa videri potest, quàm imminuta. Cæterum non cuiusuis, nec nostrum est fortasse, Corinthum illam adire, vt est in prouerbio. Quemadmodum igitur Vlyxes olim Ithacensis, vsus consilio magæ Circes, Sirenium cantus suaues quidem illos vehementer & iucundos, sed non minus exitiales & vitandos, quasi per transfennam audiuisse dictus est ab Homero: eundem ipsum in modum hominē suscepti sacramenti tanti memorem, principatum animi sui ad malum naui alligare, vinculis legis euangelicæ, eiusque seueritatis oportet. Sine eo autem malo fidei certæ ac opificis & iustificæ, in cruce Domini fixæ & cōfirmatæ, officia cuncta nautica, ministeria omnia quālibet culta in speciem: armamenta insuper, gubernaculāque ipsa, tum vniuersi instrumenti pietatis

m. j.

descriptio theatra & distinctio, nihil ad rem pertinent qua de re maximè & in primis agitur: nihil (inquam) vectoribus ad finem propositum illis, aut certè proponendum conferunt. Quod malus autem in naui est: hoc est crux in Ecclesia, vt inquit Ambrosius. Vlyxem porrò Homerus socios suos incolumes, auribus obstructis transmisisse cecinit, vt efferatos à Circe (quæ mihi prudentia communis est) Cyceonis potu, & tanquam veneficio quodam magico: hoc dicere nunc possis cinnum vrbauitatis aulicæ, atque eius affinis æmulæque, tametsi oppidanæ. Quo cinno leuiter inebriata iuuentus, elegantis vanitatis studiosa, plausus captare solet lepôris morum & facundiæ: in eoque studio ingenium animumque exercere omni contentione. Verùm hausto errore sensus communis varius & multiplici, capaces iam non erant Sirenum musicarum auditionis, Vlyxis Homericici socii: nam & vera se scire, & ficta gloriabantur. cæterum pro veris fallentia, quod Hesiodus etiam commemorauit in poëmate Theogoniæ, sub nomine musarum. Eundem igitur in modum, philosophum sanctioris sapientiæ cupidum & discipulum, animi principatum, suumque adeò hominem intestinum, ita comparatum habere oportet, sensus vt ille suos omnes in potestate habeat: vel obstructos vel apertos ad præscriptum rationis, tanquam comites & ministros ipsius. nimirum vt exurdatis auribus, vt oculis hebetatis, cæteris etiam vt sensibus aut enectis aut torpescit, qui à mundi contagione deprauati, quasque ab oculo Megaræ fascinati sunt, inuidiæ Stygiæ (adde etiam & fortasse à diuturniore contubernio Musarum profanarum) spiritui tandem illi genitali cupidè sinus pandat, in patriam propellenti per portum euthanasie. Quem ad finem ipsum vnum summumque, sanctioris philosophiæ studium à prudentibus non dubiè institutum est. Et philosophus quidem prouectus, qui iam habitum virtutis consecutus est: quanquam tangitur voluptate ob lectionis amœnitatem, nonnihil etiam sæpe titillatur ob imagines rerum quæ cōmentanti occurrunt intellectui: sensus tamen petulantiam plærunque dicto habet audientem sapientiæ atque obtemperantem, utpote domitam iam & infractam. Vnde fit, vt subiectum primum secundo præualeat, & materia formæ concedat: id quod hominis fert ratio, naturæ suæ conscii ac memoris. Imperiti verò nulla lege rationis rectæ vincti, ita demum pericula maris citra noxam euadunt memorabilem, si sensu vacent illecebrarum, ad perniciem certam viatores pertrahētium. Nam Sirenes supradictæ, velut aureolis quibusdam

catellis delinimentorum suorum, aures auditorum permultas, sensusque deuinciunt: sicque de statu mentis impotentes iam sui mortales deiiciunt. At ex eo demum statu, tanquam ex edito quodam loco, recta potest esse iustaque veritatis atque sapientiæ cælestis contemplatio & intelligentia. Quid autem inde sequatur nemo ferè non videt. Iam verò medicamenta Circes esculenta & poculenta, apud eundem Homerum mortales immutasse legimus, in animasque brutas vertisse diuerforum generum. Hæc ego nunc veneficia referenda esse censeo ad cupiditatis immodicæ quæstum, stipendiæque ambitus, tum ad fortunæ ingentiores cæcæque largitiones. Quarum rerum pharmacopolium, in conuentibus esse præcipuè regiarum, luculentum & copiosum, nemo est quin nesciat. Eorum porrò venenorum mentis atque animi, tantam vim esse virisque eodem ex ipso poëta intelligimus, eorum ut antidotum vnum tantum atque antipharmacum à priscis repertum sit ac proditum: quod ipse moly vocat. idque non hominum inuentioni, non fortuito casui: sed diuinæ potius benignitati acceptum esse referendum, auctor ipse censuerit. Cuius fabulæ allegoria, cum vocabuli molyos etymologia, ad reconditoris disciplinæ traditionem relata est, quæ per Mercurium administrata esse dicitur, rectæ rationis illum interpretem & magistrum. Cum igitur natura humana quoque versus admodum versatilis sit, eaque de causa & Proteum & Vertumnus aliqui eam appellatam esse putarint, si commentationi philosophicæ moly illud cæleste, diuinæ indulgentiæ allapsu accesserit: etiam ut Circes pocula doctrinæ sacrosanctæ anteuenterint, postliminio tamen rationis rectæ, genitalem in formam quodam modo restituemur inter polis humanitatis, tametsi interpolandorum mortalium officina spiritalis, non iterum patet homini. Sub nomine autem molyos herbæ Homerus philosophiæ doctrinam significasse symbolicè creditur à doctissimis. Cuius vim eam esse (ut volunt) arbitratus est ille vir mortalium ingeniosissimus, eamque facultatem, mores ut hominum degeneres & efferos aut veterinarios factos, atque pecuarios, sibi tandè illa, naturæque humanæ restitueret. Id quod si de Hellenica philosophia dictum est, quæ mortalium reuera inuentum fuit, quanto nos congruentius id tribuere diuinæ disciplinæ potuimus? Inter moly enim nostrum atque moly Homericum, cum plurimum, tum hoc refert, quòd illud è puteis sapientiæ cælestis: hoc è terra effoditur, humanisque inuentis. Quare plus est oxymoriæ in vita & moribus

m. ij.

Hellenismi philosophiæ, quàm veræ solidæque sapientiæ. Ad hominem verò philosophum perficiendum, qui ad regulam euangelicam, ad normam (ut sic dicam) atque perpendiculū crucis dominicæ eiusdemque seruatoriæ respondeat, quales illi fuerūt heroes apostolici, primæ classis ac sensus spiritalis ciues in ciuitate cælesti: eorumque fortasse euestigio sequaces conscripti in centurias primæ proximas: non satis est, opus esse Promethei, hominem fictum quoquo modo, & planè lutū & corpus: cuiusmodi maxima pars est mortaliū Christiani dogmatis retinentium. Ne animantem quidem esse satis est, vel animalē potius, nimiumque animæ tribuentē: sunt enim quamplurimi, qui longè plus animæ, quàm animi ac spiritus habeant. Necessesse est autem eo amplius, spiramento insignitum esse, & velut absolutum vltima manu sapientiæ: id quod fit, cū Minerua cælestis, Prometheo naturæ, spiritus diuini opificium atque expolitionem addit. At talis philosophus vel verius theosophus, nihil aliud curæ habet, nihil animo cōplectitur, nisi Deum: nihil amat nisi Christum, ut quem propter & mensam numulariam, ut olim vnus è duodecim, & publicani sensa pro derelicto habere semel constituerit. Aliud est autem ad effigiem Dei factum esse, quod omnibus mortalibus contigit, qui ratione præditi sunt: aliud ad similitudinē Dei informari, quod significat ad amussim euāgelicam vitā suam exigere, ut inquit Basiliius homilia decima in hexaemeron. & hæc est disciplina (ut ipse inquit) Christianismi, *ἡ ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει*. Quæ oculos in capite habere philotheorum docet, cellæque contemplari & cælestia, non terrena caducaque meditari, ut idē homilia sequenti dixit, è sententia Ecclesiastæ. *τὸ σοφὸν γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτῆς*. Verum enimvero cū sit omnis nauigatio in mari periculosa, ideoque à quibusdam sapientum magnopere damnata: tamen cū hæc qua de paulo antè agebamus, omnibus nobis sit proposita: nisi si quis in vitæ tyrocinio, atque in ipsa statim crepidine continentis, fato suo fungitur: tutissimum est (opinor) tractum maris consecretari quàm minimè æstuosum, tempestatibusque obnoxium: quoad fieri potest, procul à Sirenibus illis vehementioribus: quique cordatis hominibus & consideratioribus minus sit metuentus. Nam magnæ parti hominum ingenio & industria pollentium, atque etiam multo maximæ, scio id probari vix vnquam posse. quippe qui vela consiliorum suorum & studiorum, cupiditati, quæstui, ambitioni pandere, ac fatorum fauori, sicque pelago medio vel imminente procella se credere, gnauiissimi hominis esse

seant, atque etiam consultissimi. Mea verò sententia, & multorum, quibus id hominibus, mediocri, aut modica potius, Parcarum benignitate contigit, vt non tam latè sparsis fusisque facultatibus quàm digestis explicatisque, & composito magis quàm copioso vitæ degendæ instrumento, hoc mare vt transmitterent: ij & commodius viaticati, & felicius instructi ad eam expeditionem sunt, quæ per tot monstra vitæ, tot æstus, tot scopulos nobis exanclanda est. Subductis enim (vt videtur) & expeditis rationibus peregrè euntibus opus est, ne ad itinerum laborem, vasorum quoque redundantium custodia accedat, curaque impedimentorum. Quicquid autem opulencia, quantumque secum trahat, quamlibet amplos fines census sui metetur: viatorium est nihilominus instrumentum vitæ, atque diuersorium, non stationarium atque domicilii. Christus inter alia multa quæ noua instituit censuram mundi exercens, ius stirpium atque gentilitatû in populo rediuiuo sustulit, & adoptionis induxit. Quare etsi principum & magistratuum imperium, atque auctoritatem prærogatiuam, doctrina sua sanxit, ne rerum humanarum ordo antiquaretur: voluntatum tamen ciuiliû æquationem sensuûmque suasit, in ordinem se cogentium, fraternaque charitate inuicem sese non grauati dederunt. Proinde in huiusmodi ciuilitate, quæ theocratix fundamētis nixa est, & charitate Christi coagmentata, si quidem rationem elementorum suorum tenet: quid ciuem super ciues capite atque humeris extare, & veluti populares suos & adoptiuos fratres, calcibus obterere tantopere iuuat? Quid luxu, quid fastu, quid lare familiari prælauto ac splendido opus est? Quid instrumento vitæ cumulado supra fastigium ciuile, atque vltra modum exaggerato? præsertim cum Dominus auaritiam hominum compescere volens, apud Lucam scriptorem euangelicum dicat, vitæ nostræ præsidium & fiduciam, nequaquam in eo sita esse quod circumfluit, & abundat. Certè quidem vtcunque & quantiscunque finibus, hominum cupiditas quærendi consilia possidendique metetur, certus est tamen modus vnicuique instituto vitæ, ratione ciuili frugalitæque præstitutus: non communi quidem ille sensu ac vulgiuago attemperadus, sed sanctiore potius atque philosophico nedum philostaurico. Nam quæ prudentiæ communi commoda sunt atque vrensilia, eadem rationi philosophiæ reiectanea sunt atque impedimenta. Ita putandæ rationes nostræ falce philosophica: rescindenda quæ luxuriant: effundenda erogatoriis beneficentiæ piæ modulis quæ redundant: siquidem præputati & circuncisi desiderii hominē

m. iij.

Christianum esse oportet, quod Dominus præcepit, non modò studiosum philosophiæ. Quo detestabilior est atque deploratio eorum vitæ ratio, qui in summa colligenda facultatum suarum, ne aliena quidem subducunt & malè parta. Quasi verò non is demum inter Dei adoptiuos locuples sit, qui auro probo, puro, suo (ut fuit olim in prouerbio) diues est, indèque munificentiae misericordis sacrificium Deo facere solitus est. Et hætenus ita loquor, quasi theoria philosophia, modulos suos & decempedam, à civili prudentia, aut à Peripatetica disciplina, mutuari debeat ad constituendos possessionum suarum fines, ad censûsque ac pignorum temperandam mensuram: non quasi Diogenis animo calcare rerum caducarum mancipia eam deceat, Socratisque stomacho inopiam & pauperiem ferre, in pignoribus suis factam, in aliisque facultatibus. nisi verò iuris prædicatorii studium, nexorumque ciuiliū atque mancipiorum hæreditatum & caducorum scientiam cum studio iuris cælestis, quærendæque & cernendæ hæreditatis, à Christo suis ac legitimis desponsæ, consociari posse sine collisione credimus, mutuæque offensione. Quod si nunc iuris huius auctoritas fortè & seueritas, in controuersiam (ut est licentia huius ætatis) aut in dubium à communi prudentia quouis modo reuocetur: ecqua lex tandem (quæso) ecqua sanctio, aut rata magis aut seuera esse potest, ob idque reuerenda, quàm ea quæ verbo Dei promulgata est? quàm quæ in cruce Seruatoris fixa? quæ sanguine Christi sancta? nisi si nobis persuadere institerimus, longissimi temporis incuria, ac trifæculari hominum, alteroque tanto, sesqualteroque fortasse, diuturniore secordia, aut refigi legem illam potuisse, aut vsu contrario tandem obsoleuisse. Sed scilicet liberum cum libera, philosophum cum theoria, commentari hæc & huiuscemodi oportet, quæ rem habere non possunt commodissimè cum obnoxia conditione ciuiliū studiorum, nedum atriensium: id quod nos experimenta quotidiana docent. Etenim disciplina euangelica, cuius alumnus esse debet quasi que verna discipulus, homo philotheorus, quoddam est amplum euericulum cupiditatis, ambitionis, auaritiæ, voluptatis, omnisque stultitiæ, vanitatis & ineptiæ: quæ materia obiecta est & proposita civili prudentiæ, discipulisque Circes illius variarum animantium opificis, quæ Dædala eam ob causam à Virgilio appellata est. Quippe Dominus noster Iesus Christus, cum ad dissoluendam principis mundi tyrannidem supernè missus esset, non Seruatoris tantum munere legisque latoris functus est, sed etiam dictaturæ honore & impe-

rio, & præterea censuræ (vt dictum est) memorabili seueritate. Et tribu quidem ipse Israelitica mouit cupiditatem, ambitum, hiantem auaritiam, eiúsque studiosos cultorésque, vt circúcisionis cordis expertes. In album etiam centuriarum cælestium, classiúmque beatarum, referri eos vetuit, qui ad Honoris ædem, ad aram fortis Fortunæ, frequentius supplicatum irent, ac religiosius, quàm ad Themidis supradictæ oracula consulenda, impetrandæque responsa ex adyto supernæ prouidentia. Tum qui vanitatis æra merere mallent sub imperatore ambitu, principis mundi legato, quàm in statuis rectæ philosophiæ, vallo crucis munitis & circumdatis, stipendia facere, ærumnosæ quidem ad tempus militiæ, sed tamen contemplatricis, præmiæque expectantis visenda & amplissima: eos quidem ille dirutos esse iussit atque pronunciauit, ære illo cælesti legionum beatarum, ad emeritæque sempiterna militia missarum. Nam quid aliud est tandem vita Christi, disciplinæque euangelica, quàm censura seuerissima prudentiæ ciuilis, quàm acris refutatio humanæ sapientiæ? quàm hypocritici fastus, quàm ironiæ sacerdotalis, acerba castigatio & traductio? Dominus noster ipse, Christus, virtutis præmonstrator nobis fuit, & simul prægustator, & propinator omnium amaritudinum vitæ, atque acerbis. Omnes iniuriarum, contumeliarum, pœnarum indignitates, oculis, auribus, ore, capite, corpore, manibus, pedibus hausit: & nos omnibus sensibus voluptates exquirimus? Vtrum est hoc tandem parentare Christo, pro nobis in crucem acto? Quid verò humana sapientia, tanta corporis vexatione, assidua animi contentione proficit, nisi chirographum nexus æterni rursus in palimpsesto interiore scribit? Quid igitur profuit ex Ægypto ire, ac mare per medium transire, si iterum in nexum Ægypti, in ergastula tyrannidis remigramus? si ibidem addicti iterum nexique acquiescimus? Anima cum ad lustralem immersionem accedit, nuncium ipsa protinus Ægyptio sponso remittit: suas res etiam ipsum sibi habere, conceptis ea de causa verbis, ac solennibus, iubet: vt in cælestis manum sponsi mancipiúmque veniat, vt olim loquebantur. hoc faciens salutem multam mundo eiúsque fastui dicere se testatur. Ad Ægyptium igitur illum cum ita reuertitur, vt eius sodalitate, contubernio, comitatu gaudeat & delectetur: nonne infidam sese Christo, vel perfidam potius ostendit esse? si quidem ipsi desponsa erat omnibus cum suis facultatibus. At prudentiæ ciuilis discipuli, sic hiantis cupiditatis ingluuiem, diurnis & nocturnis laboribus, contubernalibus curis, parasitis & concubinis anxie-

m. iiij.

tatibus, explere nequicquam contendunt & satiare, ut crateres implere vastos Erebi tyrānus ille Stygius. Quī fieri potest igitur, nobis ut constet ratio Christianismi, si nobiscum iustitia diuina, lege agere summa, suāque velit? nisi verò Deum toto ex corde, toto ex animo, omnibus numeris amoris amat, qui vix eius cultui atque meditationi tertias partes intentionis tribuit, nedum cōtentionis. Nos flendo, ridendo, lætando, tristando, sperando atque timendo, & dies & annos ducimus, per inanes, futiles, irritos motus animæ atque affectus, nihil quicquam (ut plurimum) ad summam rei pertinentes, quæ in primis in vita accuranda est. Qui tamen utinam ipsi ad rem tantum non facerent, non etiam plærunque officerent vehemēter. Quo fit ut qui cordati, corculi, cati, circumspecti sunt fluxis in rebus & mox interituris: iidem hebetes ipsi, bardi, inconsiderantes, & verò morionum similes sint, (quod mirum an dirum sit ipsum magis, nescio) in rebus æstimandis primæ notæ atque auctoritatis, inter homines quidem certè cælestium rerum consultos, veritatīque prudentissimos. Nōne videmus operosissimam esse communem prudentiam & accuratissimam circumfluentibus in rebus & superuacaneis? contrā verò somniculosam eandem & oscitantem in conducibilibus maximè atque necessariis? Laborat enim industria mortalium & solertia, ut hīc redundet vita: non ut commodè quoque & expeditè ad vsum fructūque bonorum sit instructa: minimè verò ut olim atque in sempiternum, omnibus numeris beatitudinis cumulata se gaudeat. Diram, & capitalem mortalium inscitiam rerum summopere expetendarum. Nos bonorum possessionem vnde liberi, & liberi quidem Dei patris, charissimi atque beatissimi, nō agnoscimus, aut agnitam certè petimus, ut Cæsaris (quod dicitur) in comitiis olim candidati, petebant. At verò bonorum possessionem vnde serui & obnoxii, & exhæredes patris, magno ambitu petimus, omniūque animi contentione. Hoc quid est autem? Hoc (inquam) quidnam est, si summa imprudentia, si inscitia perdita non est & profligata? sacrosancta philosophia res diuinas & prius inauditas, non docuit tantummodo homines: sed dedocuit etiam quæ terrena sapientia Stygio errore imbuta docuerat. At mundus iam immemor, ad priscam ignorationem æternitatis reuolutus est, ad luteamque adeò quandam scientiam, pinguem & corpulentam. Quid igitur Hellenismi profani transcriptio ad Christianismi circuncisionem profecit, si ambitum, si cupiditatem, si elationem mentis, si amorem, si sitim ardentissimam rerum placitis diuinis damnatarum

atque abrogatarum, æquè vt antè incircuncisa habemus? Philosophiæ veteris auctoritas, etsi verba Græciæ reapse, eiúsque discipulis dedit, componere tamen mores permultorum, superuacuâque desideria amputare potuit: sapientiæ cælestis gladius non poterit, tametsi acutissimus? Heu pietas, heu prisca fides, quò tandem gentium illæ, à quóque amandatæ sunt? Christus Dei filius, quasi harmostes quidam diuinus (vt Græca voce dicam) cum summa mirificâque potestate in mundum missus, ad rempublicam humani generis cõstituendam, quæ diuinam iam manum nõ obscure poscebat ac flagitabat: cùm leges & instituta vitæ ad normam exegisset, ad regulam atque perpendicularum diuinæ sapiëntiæ: duodecim viros sibi legauit; vnúmque præterea insignem, è prouincia sua decedens. Cùm autem eorum vestigiis impressæ omnes mundi regiones fuissent, veritatísque sensu tinctæ earum nationes: hominum subinde incuria, dæmonúmque solertia, memoriam eius monumentâque deleuit in parte mûdi longè maxima. Cætera verò in parte, quam incolunt Christiani, vestigiorum eius exiles notæ magis ad hunc diem, quàm vestigia ipsa clara & luculenta manserunt. quippe quæ in obsoleta iam via tantùm agnosci certò possint, & vel solitudine, vel hominũ infrequentia desita: certè quidem nunc procul remota & abscedète à via prætoria, cõsulari & populari, quæ incurrūt in vrbes aliâque hominum cõuenticula, tanquam in cõpita quædam mundi. Iis autem nunc in ipsis viis, si quis acrius obseruauerit, non expressam imaginẽ germanæ illius & puræ religionis ac pietatis, non iustæ persuasionis rerum à Christo Dei verbo proditarũ effigiem informatam, sed veluti simulachrum eius videbit prima manu deformatum, vel carie verius vetustatis exesum, nec liniamenta asseruans. Nam obductus iam situs libris ritualibus, monumentísque primordiorum Christianismi, atque eius architecturæ, quadam quasi vetustatis præscriptione summouet ac longe depellit eos, qui sanctitatem & vitæ innocentiam, & sacerdotii denique maiestatem, ab exemplis illis mirificis ac prædicandis repetunt. Et cùm memoria quidem nostra sibi indulgere in vniuersum haud ita pridem institit, in iis quæ ad cultum atque obseruantiam priscae pietatis pertinent, & porrò ad obseruationem rituum atque ceremoniarum, spiritus lógè plus quàm fastus præferentium: tum verò mores receptissimi principibus adblandiuntur sacri perinde ordinis atque profani: si tamen profani homines dici propriè possunt, qui oleo initiali delibuti sunt. Simul interpretes legis assentatores, moribus præpotentium adstipulantur

responforum indulgentia. nimirum tanquam Deus cui persona nulla eximia est, si diuo Paulo credimus, non æquè rigide pensum à primis ordinibus, vt ab aliis exacturus sit: ne dicam etiam rigidius. Quòd si ad veritatē loqui placet limatam euangelicē, an non omnes hoc tempore mortales numularii facti sunt, in mundi conciliabulis, in Ægypti mercatu, in Babylonis foro negociātes: non Christo collybum ipsi, sed dæmoni factitantes? ii etiam (si diuis placet) cui talenta sua Christus ipse commisit, in rem suam suorūque, non in hostium vertenda? Ita chronocrator huius ætatis (vt Genethliologi loquuntur) Mercurius est ille Stygius, non caduceator, sed locutatus. At is fidem tantū Græcam (vt Comicus Plautus inquit) sequitur, repræsentatūque precium: nec spei quicquam ille aut expectationi credit: ne miremur concussam his sæculis & collabefactam oraculorum fidem. Hi mores, hi sensus, non illorum sunt temporum, quæ mortaleis tot insignes, maiorēque humano fastigio, mirificentissimis facinoribus diuinisque ediderunt. non earum etiam sunt animarū, quas è sinu suo prouidentia ad Christianismi illustrationem emisit. non earum Christi ouium de quibus ipse dixit, *Meæ sunt illæ*, nemōque rapiet eas de manu mea. non eorum hominum, quibus idem ipse testimonium sui ad tribunal sæuitiæ, ad carnificinas crudelitatis impiæ, ad phalarismum denique tyrannicum denunciavit: qui in solem (vt dicitur) & puluerem prodeuntes, cruenta tādē præmia, eadēque beatissima promeriti sunt. non eorū etiam sunt ii mores philosophorum, qui in palæstra virtutis, atque in vmbraculis innocentia, Christo se deuouerūt, à mundo emācipati. postremò non Christi pedissequorum, non eorum quos ipse staurophoros esse iussit, vt sui similiores essent, cū eam viam ingrederentur quam ipse præmonstrare præirēque institerat ad superos iter affectantibus, vt pote qui per manus & pedes ipsius Iesu Christi, cruci quoque suffixi fuisse viderentur ipsi. Proh supreme Seruator (inquit Aius ille loquax) vbi iam fides apostolica, vnderū inambulatrix? Quonam mores æquales eiusce fidei abierunt? non signare quidem aut pariri limite campum fas erat: in medium quærebant omnia. Nunc autem & iam pridem tam friget in sinu Christianismi charitas, quàm feruet in eius tutoribus & nutriciis ambitus & cupiditas. Qui vni & alteri magistratui, honori, muneri desponsi sunt: in alium statim aut alium, atque etiam ad alios aliāque nullo fine animum adiiciunt. & quasi anteriores sponsas funere extulerint, denuo proci fiunt, simul etiam complurium: cū interim, si diuis placet,

homines polygami, cælibes esse moribus ac legibus existimentur. & huiusmodi(inquit) mortales farragine rerū secūdarum obesos, inter alumnos paracleti ad cælum euolatuos, credere nos cum ipsis ac confidere debemus? Anne est hoc tandem militantis Domino populi tabernacula rectè atque ordine metari, principiiis omnia tribuere, præsertim inertibus magna quidem ex parte atque supinis? Nam cum res hodie dominica ad triarios apertè redierit, si in summam iudicium facimus: principes tamen institerūt laxissimè cum antesignanis tendere in castris Christianismi, atque etiam statiuorum decora & insignia summouere improbissimè. Ordines enim alios, ordinūque singulos munifices, videmus promiscuè, nullaque lege prisca compositos, ad ordeum (multitudinem quidem longè maximam) redactos esse: cum istorum singuli (si diis placet) integrarum legionum frumentū vt euocari Christi, annonasque accipiant, quo genium suum farciant. Quibus vtinam ipsis tanti esset in officio esse, quàm in officiis esse cupiunt. Quomodo autem ingredi per portam illam angustam sic suffarcinati, sic titulosi, vsque adeo peculiati contendunt (quod Dominus ipse præcepit) homines quidem illi officiosissimi, sed ab officiando rei summæ potius, quàm ab efficiendo dicti? Hæc certè & alia huiusmodi, conuiualium sermonum argumenta, & sæpe concionum: nec passim, nec apertè, quasque recepto iure fierent quâ sacro, quâ profano, nisi genius ille hominum effascinator, quem mundum appellare scripturæ auctoritate solemus, visu suo venefico, conditi intus hominis vires sensusque inficeret & enecaret. In cuius celebritate & frequentia, sic petulanter vitam, sic inerter degimus, vt serui nequam & verberones: qui herilis metus ac seueritatis obliti, tantisper, dum Dominus peregrè rediturus est, in diemque à nobis incertum expectatur, non Liberalia modò ipsi (quod dicitur) agimus, sed propemodum Bacchanalia. Proinde quibus contigit per expeditam vitæ conditionem, minora & pauciora in hoc traiectu maris pericula adire: quibus placido genere vitæ quasi tranquillis vndis prouehi: quibus offensionum ciuiliū scopulos, contentionum & simultatum tempestates, in foro, in atrio, in toga, in prætexta, in infulis vitare: nec verò in vadis hæreere studii cuiuspiam iucundi, morantis viatorem in mansione diuersoria: cum iis mihi certè prouidentia egisse videtur non incommodissimè. Quippe in qua viuendi sorte, in negotio quoque vacet, consilia vitæ agendæ dirigere ad scopum philosophiæ commentatricis mortis, immortalitatis vtique beatif-

simæ studiosæ & candidatæ. Nihil enim refert, modò fieri possit, in Basilicane, in aula, in æde sacra, in porticu, domi denique tuæ philosophere, an in secessu aut exhedra peristylli. In cuiusmodi secessum, ut præcipiti forsitan consilio non pauci, aut aliàs inconsulti, quod exitus sæpe docet: sic plures inita diu subductaque ratione se suaque conferunt, tanquam ad resipiscentium asylum: & velut ad portum tranquillitatis se recipiunt, grauati & exosi iactationem huius maris, æstuumque molestiam. Tum stagnante sinu, gaudent ibi vertice raso, Garrula securi narrare pericula nau-tæ. Cæterum inuidia iandiu flagrat ea natio, quasi Calypsò quandam atram, ironiæ vel germanam vel affinem, pro numine colendam alexicaco imperitæ multitudini præbeant. Quod aliquorum forsan crimen, infonti tamen impingitur multitudini. Equidem, ut à caluo ad caluum (quod dicitur) iniqui est iudicis & præcipitis, eodem iure censere: ita à raso ad rasum damnare, vel nota mulctare ignominia tum atratos, tum albatos, præcipitis utique famæ præiudicium sequentes, non satis æquorum esse arbitror hominum, sed censuram subiratam offensamque exercentium, de re tot sæculorum taliumque consensu comprobata.

DE TRANSITV HELLENISMI

AD CHRISTIANISMVM,

LIB. TERTIVS.



QUAM quod superiore libro dicere institueramus, philosophia multiplicem personam induere possit, & verò pro te nata interdum aut theatri gradibus, aut orchestræ consentaneam: natura tamen amica est ipsa, & cōsuetudine gaudens abstrusæ vitæ, è medióque summotæ Ægypti & Babylonis. ac tametsi in primis palmarium est, in tempestate, in trepidatione, in fluctuatione vehementi & iactatione, gubernacula minimè manu mentis misisse rationisque: quibus tamen oram legere placidam proclive est, nec alto se committere, interimque nihilo intempestivius ad destinatum portum venire: iis utrique conditio rei nauticæ felicior est, tranquilliorque multo & consultior. Huiusmodi autem vita est eorum, qui cum possent in hominum frequentia, & conuentibus celeberrimis, & velut in triuiis vitæ specimen sui edere, suarumque facultatum: id tamen meditata ratione, constantique animo repudiarunt, nec multitudini mortaliū innotescere gerendorum honorum industria & solertia, aut aliàs concupiuerunt. Quam ob causam contemplatrix vita, & mortis obeundę commentatrix, rerum sempiternarum studiosa & admiratrix, non ab re ut peregrinantis animi via, immunis in primis & libera, à sapientissimis mortalium vehementer concupita est: quibusque eam suscipere contigit, aliquandiūque gustare, ab iis est ferè ipsa ad extremum retenta. Nam quibus sic vitam degere licet & cordi est: præterquam quòd compendium magnum curarum, angorum, conflictationum, ægritudinum multarum & acerbarum faciunt: in mundo quoque ipsi, atque in mari ita versantur inundantis vrbes multitudinis & æstuantis, ut tamen in statione & secessu se contineant, ab externis tecti securique tempestatibus, vndarumque iactatione. Quod tamen & ipsum rursus non usquequaque perpetuum est, ne hoc genus vitæ ut vnum & eximium, vindicare velle videamur ab omni vel noxa, vel offensione memorabili. impingitur enim nonnunquam, & inter oram legendum, atque etiam proxime portum. adeò nihil nec semper nec cuiuis, nec vndique tutum est, noxæque Stygię sacrosanctum, quę nusquam non insinuat.

n. j.

Veruntamen in secessu, à conflictantisque turbæ ac sese collidentis recessu, animus hominis studiosi, sæpius, placidius, & plenius feriat^{us} est commentationi philosophiæ. & hæc est disciplina vnica, quæ ad vitam nos viamque theoricam repetendam condocet & instituit: è qua via quondam decessit misera mortalitas, per hallucinationem & insipientiam. Ac complures quidem homines ingeniosi in vmbraculo speculatricis & piæ vitæ, cum ad eam meditationem constanter incubuissent, interim apud mortales obscuri & inglorii, victo demum illo dirarum tenebrarum principe, mundoque eius præstigiatore, cælum ipsi ouantes ingressi sunt ad extremum, ingenti cum plausu theatri supernatis, visendi & sempiterni. Tantum autem vitium fuit humanæ rationi oblatum in primordiis rerum, ab illo importuno, obscæno, atque inauspicato animarum vitiatore, vt quauis abluta noxia in purifica immersione & animorum smectica, tamen inusta multa caducæ conditionis, animæ semper hæreat stigma (vt ita dicam) diuinæ iustitiæ. Ita quod supplicio Seruatoris factum est, animæ vt humanæ conditio, quæ ab illo primordiali casu, tot ætatibus iacuit vt prostrata, per fidem ipsa sacratissimæque initia Christianismi, quæ supplicium illud Christi mirificum peperit, in gradum salutis atque immortalitatis beatissimæ reposita sit, ab Orcisque mancipio, & nexu diræ noxæ, vindicata in arbitrium sui: id securitatem homini supinam minimè præstare debet, sed Dei timorem addere summum potius, atque vigilantiam. & porro tantæ rei diuinitus administratæ animaduersionem intendere, assiduam, perennem, & sollicitam. Neque enim humana ratio, vt spiritus sacrosancti beneficio in smegmate initiali, tyrannidi supradictæ exempta est: ita suis quoque protinus legibus reddita est: neque vulnere perpurgato, ad integritatem etiam mortalitas redire obducta cicatrice potuit. Nec verò eadem conditione vt quondam ante noxiam admissam primordiale, nec optimo (vt tunc) iure tranquillitatis, animum suum possidet: quia immunitas vnà quoque non redhibita ab inexpiabili bello fuit, vel externo vel intestino. Proinde meminisse etiam etiãque oportet, ita nos in libertatem à Domino nostro, eodémque vindice, assertos esse, vt libertini tamen generis adhuc simus, non ingenui: quippe quorum olim maiores ob noxam dati fuerint, peccandi verò conditione, castandique, & porro præcipitem in locum ruendi, sic imbutos permansisse: pedetentim vt ingredi per viam eodem ab ipso Domino ducéque præmonstratam, magnæque cum religione debeamus, &

cautione . Ita & philotheoriæ studium , & vita ipsa hominum qui philotheori sunt, potius quàm philosophi, nihil est aliud quàm resipiscentia iam dicta , cum admiratione ac speculatione theurgiæ, sanè Dædalæ & mirificæ : partim ante Christi aduentum editæ, partim ab eo iam ipso, Deo pariter & homine nato, administratæ, ad humanum genus tandem immortalitate, beatitate, atque diuinitate donandum . Superi immortales , quodnam studium hoc dignius ? quod amplius esse potest ? quæ verò commentatio augustior excogitari , in quam incumbere toto pectore mortales ingeniosissimi, tota mente, omnium animi facultatum intentione, neruorum denique cunctorum intellectus contentione , aut debeant aut possint ? denique in qua Homericam vim ingenii ac verborum amplitudinem, poëtæ heroici : cothurnum altissimum, tragici : magnitudinem sententiarum, maiestatem differendi, expatiantem amplissimamque facundiam philosophi Academici , si ita visum esset prouidentia, debuerint & potuerint exhauriendam ducere ? Quid autem si nec amœnior vlla, nec suauior inuenitur experiundo, nec verò salubrior ? Et sapientis quidem vitam, commentationem esse mortis priscorum probatissimi philosophorum, ratione nescio qua suspicati sint , nisi quòd sic natura constitutum est : is est veritatis & sapientiæ genius, ut apud eos quoque plerunq; sese probet, olimque probauerit, quibus eadem ipsa vel veritas vel sapientia, cognita nunquam fuit. Philosophiam autem euangelicam , axiomaticam ego appellare institui, propter conditoris ipsius auctoritatem, qui parens est veritatis primæ atque sapientiæ. Quem etiam appellandum posthac censeo Ipsum, id est *αὐτὸν*, non translatitio ab antiquitate nomine, sed suo vnus & proprio : ita ut Ipsum id est *αὐτὸν*, vnum & absolutum subiectum intelligamus, eximia natura ac dignitate notum. Qui non vnus modò Ipse, id est Deus Dominusque absolutè vocari, ut infrà, suprà, nusquamque non imperitans suo iure, sed etiam Pithagoras debet, utpote cuius sermo mirabilis, Pithûs acie mucroneque excutus sit : qui cordis, qui cotis, qui denique lapidis ac silicis duritiam penetret, cùm in aures insinuauit diuinitus perpurgatas atque perterebratas. Nam quòd huius ætatis corda ipso gladio sic acuto penetrari, eorùmque cupiditates circuncidi non possunt, in causâ est utique ira Dei culpa nostra concitata : non acies verbi eius hebetata , quæ semper eadem est. Deus autem non paulo offensior est & iratior flagranti & vāsana cupiditati nostræ, cuius ingluuiem auertem nihil implere potest : simul ætatis nostræ iniquitas, quæ ad summū

n. ij.

penè euasit, multifariam varia, efficit, vaginam vt tantum verbi Dei tractare assuescamus, non vt latentem intus gladium animaduerrere & admirari. Nam historiam tantum euangelicam, & theurgiæ Christi contextum recitantes aut audiētes, illicet acquiescimus: nec quid iis significetur, quid nobis denunciatur, quò pertineant quæ lecta sunt & decantata, recordari curamus & contendimus. Quare verbum ipsum tametsi suapte vi animatum, animānsque vehemēter inter mortuos homines, tamen velut inanime atque hebes auribus deuoramus stupidis ac torpentibus: nullumque aculeum persuasivonis fixæ, nullos feruentis charitatis igniculos, aut certè exiles illos semique sopitos retinentibus, nec ad præcordia porrò eosdem transmittentibus. Verum philosophiæ euangelicæ, quæ ab elementis ad summa theoremata, serie conferta est axiomaticum (quantquam eorum multa fermè sunt paradoxa, vt dictum est, & antidoxa communi hominum prudentiæ) quantus sit vsus studiosissimis salubris scientiæ, hinc intelligi potest. prudentissimi enim atque sapientissimi iudicio mortalium existimati, si ad normam illam diuinam æstimentur, id est si ad veritatis summæ libram eorum sapientia pendatur, Anticyræ annona egere protinus videbuntur. Et prudentia quidem ista humana, cum nasturtio (vt ita dicā) sanctæ philosophiæ ac sanctificæ, cumque contemplationis epulis animū suum alere vegetareque deberet in via discriminum plenissima: mandragora interim & papauere vescitur in rerum æternarum disciplina consecranda. Vnde fit, vt Mercurius ille Stygius, lethæis escis mortales inescatos, errorum etiam exitialium cinno inebriatos, insuper virga aurea argenteaque consopiat, in cubili luxu supinos, salutisque incuriæ, ac spei vitæ longæ: inde verò vt sæpissimè in lacum illum nequicquam nobis decantatum detrahat, diuitum, inopum, senum, iuuenum, infantium, stultorum ac prudentium, imperitorum iuxta doctorumque colluione plenū, nec vnquam redūdantem. Nam (proh suprema prouidentia) quid de iis sperandū est (quæ multo maxima pars est hominum) qui non antè ad Deum apostrophē faciunt, eamque consternabilem: quàm ad extremā catastrophē vitæ ventum est, vel fabulæ potius & imaginis vitæ? Quumque in theatro vitæ ordines sint distincti, togati & prætextati, infulati & paludati, apicibus honorū quidam homines insignibusque magistratuū conspicui, quidā diademático gestamine eximii, quidā tiara augusti, quidam purpura sacrosancti, alii sub aliis velamentis honori & venerationi habiti, & simul loca cuique ordini atque homini attributa iure gentium

& ciuili atque pontificio: illic tamen omnes eodē iure sunt, eadem cōditione. nec vt vectorū nunc discrimina sunt in vniuersa ecclesiarū nauī, sic miserorū delectus erit tunc in lacu custodiarum Orci. Ad id igitur, quò omnia uitæ humanæ consilia referri debent adipiscendū, quod finem & extremum prisca vocauit philosophia, nō magnopere refert, quali quantāve nauicula, quāmq̃ splēdidè aut ieiunè instructa, vnusquisque animus humanus vectus sit. Id demum autem refert, quā oportunè, quā hospitali tempore, quā gratiose ad portum peruenerit finēmq̃ nauigandi: è quo portu finēque, ad finem illum optandum expetendūque peruenitur. Quantum est autem hominem studiosum, in theoriæ contubernio, alioquin etiam suauī & amœno, cogitatione antecapere certa, stabili, fixa, denique in rem propè præsentem animum ipsum sistente, qui status hominis post mortem futurus sit, si in Iesum ipsum Christum, eiúsque pollicitationes, si in sinum Abrahæ omneis suas spes contulerit & direxerit? si vniuersum animi censum facultatēque, suo cum omni thesauro, cum vniuersis opibus, in gremium charitatis Christi coniecerit & effuderit? Nullum enim castellum, nullum conditorium, nulla arx munita, nullum præsidium tam firmum, tam fidele horum custodiæ esse potest, quā fanum fidei Christianismi, excubiis septum atque peruigiliis philosophiæ, omnium dierum atque horarum. Mors est enim homini sic extrema (vt dictum est) æternāque bonæ fide commentato, eruptio è carcere, exilii terminus, ærumnosæ peregrinitaris clausula, ad portum exoptatum appulsus: postremò prementis oneris prægrauisq̃ excussio, fictilis & putris corporis abiectio. Tum demum autem eques securus, ex equo descendit natura consternabili, interdūque lymphato, interdum furiis iracundiæ, cestro sæpenumero Veneris incitato. Tunc miles fidelis, paucis licet stipendiis (vt sæpe euenit) confectis: tamen vt emeritus militia dura mittitur. Tunc etiam seruituti corporis naturæ lege addictus, eiúsque obsequiis quasi ob noxam datus animus, morte veluti vindice, nexu permolesto, vrentēque mortales bonæ spei, soluitur, quasiq̃ manumittitur. Ibi iam discriminum finis, immunitas fortunæ temeritatis. Ibi curarum anxietatūque depositio in sempiternum. iam egrotationum, dolorum, timorum, ægritudinum, æterna vacuitas. Ibidem caliginis & tenebrarum exitus: in patriam verò atque in lucem progressus atque aditus. Inde demum natura humana veram & iustam vitam beatāque auspicatur. Tunc primū semetipsum animus nosse

n. iii.

incipit, efféque quod nunquam desiturus est. Is denique sperandi finis, quando spem atque expectationem gestienteis, rata, fixa, æternaque adeptio summi boni excipit. tuncque demum pro usu & fructu, propria possessio & hæreditas beatissima cedit: pro incolatu ciuitas: pro opinione ac fide cõprehensio & scientia: pro ludibriis sensuum, rerum visendarum conspectus, perceptio & fructus: veritas expressa & eminens pro adumbrata: tranquillitas pro tempestate: quies pro inquiete vita: post sensuum vicissitudinem, post affectuum varietatem, perpetua mentis æquabilisque constantia, & fiducia, comperatque possessio veritatis atque sapientiæ, quæ epulæ sunt animi suauissimæ. Iam verò post vniuersi solutionem, post interitum spatiorum atque intercapedinum temporis, rediuiua corporis animique societas: pro tempore perpetuitas: pro instanti, prætereunti, venturoque, non alia iam atque alia præsentis & futuri excipiens instantia. cæterum præsentis ac proprii summi boni perpetuus tenor, simul præteriti desiderio vacans, simul expectatione futuri non suspensa, in corporis (quod miremur) animique consensu plenissimo. Postremò pro amphitheatro, infinitum diuinitate plenum: pro spectaculo scena Mosis aperta, visenda & spectabilis. Simul ipsa iam vera lucidæque theoria, umbratilem hanc nostram sequitur & imaginariam. denique (vt omnia vno verbo complectar) mortem & miseriam excipit beatitudinis & immortalitatis summa. ΕΥΕΣΩ & ΑΙΩΝΩ, quæ Latinum nomē non habent, pro ea quæ in terra ΕΥΖΩΙΑ falso dicitur, quæque tanquam finis & extremum bonorum est communi prudentiæ, sed fluxum & euanidum. Hæc, tot, tantæque in expectatione posita sunt emeritorum stipendiorum Christianismi, quæ cælo delapsus euangelus antea inaudita, pro testimonio palam, pro concione sæpe, pro imperio, pro potestate, pro numine, pro ede, pro tēplo summi Dei pronūciauit: idque cõceptis verbis in asseuerationē, oraculi fide multem augustioro. Obaudientibus autem (me miserum qui hæc scribo) aliudque (vt dicitur) agētibz, omnia prædixit atque interminatus est contraria, ac per diametrum (vt aiunt) opposita. Vtenim illi lætitiis lætabuntur omnibus, iisdemque sempiternis: sic hi viceuersa mœstitiis mœrebunt, numeris omnibus æternitatis & miseriam coagmentatis. At nos vtraque (ô perditas cæcæ vitæ, ô deploratas rationes) suisque deque facimus: vt quidē inferbuerūt studia ciuilia, ad bona ista fluxa, temeraria, caducæque cõsectanda: in fide quidē ipsa fortunæ fallacis ac circumscriptricis hominum, non in Christi Seruatoris posita pronunciatoris tum veracissimi, tum locupletissimi. Hic quid agat recta

philosophia, germanaque ratione instituta, quid (inquam) agat theosophia cum sensu communi, cum prudentia urbana & civili? Quid cum aularum incola sapientia? Illa, summi boni spem, æternitatis expectationem, Critolai libra: hæ Aristippi pendunt trutina. Illa ad infinitum bonum consiliorum suorum summam actionumque refert: hæ mortalium domicilio omnia circūscribunt, ut quidem præse ferunt apertissimè. denique his anima cum palato, illi spiritus tantum sapit, cætera stupentibus longè propria sunt. Illa eadem vitam sæcularem, tanquam lustrale quoddam munus necessitatis esse censet, corpori servientis ad animæ tuendum diuersorium, citò emigraturæ: hæ vsum vitæ habitationemque precariam, æternitatis instar habent: peregrinitatisque viatico, quasi summo bono incubât, & perpetuo. Illa interim Ambrosia & nectare alumnos suos alit: hæ fœno & stipulis, & inanibus quisquiliis animos pascunt hominum ut iumentorum, siti semper aridos. Verum quod dicere instituerâ, sapientis vitam antiqui philosophi, admirandam summopere, æmulandamque iccirco censuerunt, quod in ea demum virtutum omnium summam vsumque esse posse dicerent & contenderent. Sapientem enim vnum per prudentiam mundum hunc, & omnia quæ mundi sunt, præ rerum diuinarum scientia atque speculatione, despicienda ducere & aspernanda: quibus in rebus ipsi animi contentionem ingeniique, omnem & vniuersam, figendam esse censebant. Illum etiam per temperantiam rebus omnibus abstinere, quibus corporis curandi ratio vacare potest non incommodè. per fortitudinem non terri metu mortis, non doloris, non rerum aduersarum, ut qui mentem habeat abstractam à commercio sensuum, in editoque sitam. Atqui iisdem ex rebus iustitia conflatur, omne ipsa numeros complexa innocentia. Huiusmodi autem fuit (ut quidem ipse reor) eorum virtus, quos scriptura, summa auctoritate prædita, iustos esse viros elogio suo testata est, quasi ad libellam æquos, & ad perpendiculum rectos. Hos porro tres philosophiæ quasi cardines, sequitur ipsa tanquam agmen colligens virtutum, sapientia, cuius gentilis est ille sapiens, quo de nunc antiquorum è sententia loquimur: in veritatis illa perspicientia contemplationeque summi boni vehementer occupata. Hic enimvero felicitis & beatæ sortis mortalium, parum mihi prudentes consultique homines quidam visi sunt, qui vel è statione vitæ compositæ, è mediòque reductæ, vel ipso è portu senectutis iam emeritæ, rursus in æstum munerum civilium, vel in ambitus iactationem aut urbici aut atriorum, scientes prudentesque

n. iiij.

referuntur. Nam quibus id inuitis & gementibus euenit (quod solenne est & fuit semper plurimis eorum, causari vel impudētissimè, quibusdam etiam adiurare sanctissimè) sed quibus id contingit minimè affectantibus, iis equidem censeo magnopere esse condolendum : & verò tanquam pro ærumnosis, calamitosoque quodam casu oppressis, preces frequentandas esse, obsecrationesque supplices. Quem enim eorum non misereat, qui quidem inire cupiat gratiam ab ipso legislatore, qui legem tulit ac sanxit germanæ charitatis & misericordiæ? Verum enimvero nequaquam ego tantum theoricæ philosophiæ, ac verè propriæque sapientiæ studiosæ,tribuendum censuerim, quanquam doctrinarum principi, ne heroicæ quidem (propè dixerim) vitæ discipulorum eius, quantum prisca mendosaque philosophia suo sapienti tribuisse dicitur, omnes ut sensuum motus sapiens in potestate habere existimetur : sibi ut ipse omnium instar esse, secum vno ineundam rationem habere ad beatitudinem adipiscendam : denique omnia ut semetipso longè inferiora ducere non dubitet. Vaniloquentiæ certè sunt ista placita à porticu nomen habentis, indignæ sanè vel nomine ipso philosophiæ, quod sibi vni quondam ipsa vindicasse dicitur. Hæc illa est autem magistra, quæ sui sapientis alumnique ideam commentitiam in cælum celebrando sustulit : in numerumque formarum beatarum propemodum adoptauit, ut humano maiorem fastigio. At philosophia hæc sacra, axiomatica fide cælestique elogio subnixa, non ab hominum illa quidem inuentis, non à demonstrationum lineamentis, cæterum à numine cælesti ius atque auctoritatem habens, cuique theurgia mirifica pro argumento apodeictico diuinitatis fuit : vnum sapientem suo iure nouit Ipsum (ut Pythagoristæ quondam loquebantur) vnum iustum, vnum absolutum bonum : vnum (inquam) Ipsum nouit, qui Ipse omnes virtutis numeros suo apte ingenio, suapte natura complectitur : quique statim Ipsius appellatione, ut propria, ut peculiari, ut absoluta, ut omnes numeros significationis complexa, notus est : vnicum exemplar ipsum virtutis, veritatis, atque sapientiæ, ad quod formas ipsas virtutum primarias & exemplares effingi atque exprimi oporteret, si quidem exprimi possent. Sub ipsius enim nomine fulta à semetipsa auctoritas, augusta maiestas, sacrosancta veri fides, ipsa suo numine nixa, fixa, firmissima, omne externum respuens indicium & argumentum, intelligitur, significatur, & exprimitur. Quanquam si argumentorum & demonstrationis res esset, typorum cum ectypis compositio, indiscretaque similitudo

signorum cum significatis, symbolorū cum rebus representatis, prædictionum cum euentis, conuenientissima comparatio, ad vnguē-que exacta commissio respondens, omnem inficiationis ansam præcidens: haud dubiam vim haberent grammicarum apodeixeon, vt mathematici vocāt. Mihi autē fides certa & cōsignata summæ Christianismi, sic in scriptura cōdita videtur esse, tum diuinitus edita, tum per manus ipsas Dei, eiúsque legatorū tradita & hypodidascalorum; vt ignis à natura in silice inclusus est, aut in alio quouis igniario. Vt enim corpora igniaria mortalibus data sunt ab initio, non vt ignauissimo cuique atque inertissimo, ignis, vsus, rei maximè ad vitam necessariæ, in promptu & ad manum, nullo labore, & sine inquisitione esset, sed vt varias vsus meditando extunderet artes: sic rerum æternarum, & veritatis ab ipso proditæ Dei filio, auctoritas, æstimatio, firmitas, demonstratio: summi denique boni, omnibúsque numeris cumulati maiestas, atque eiusdem indicatio, si liceri institerimus iusta contentione, in monumentis historiæ theurgicæ nobis proposita sunt, ab orbe statim condito res gestas prouidentia commemorantis. Atqui huiuscemodi sapientiæ doctrina, in scriptura, quasi in lapide, in silice, in re dura, interdúmque menti refractaria, cœlitus hominum generi iccirco prodita est, vt silicis venis abstrusum excuderet ignem. atterere enim intellectum scripturæ, & affricare validè & assiduè opus est, fomitemque bonæ mentis, atque orthodoxiæ hærentis, promptum & paratum habere, ad scintillas luminis excipiendas accuratè, & intentè, atque religiosè. Verùm id plærunque ita segniter & oscitanter facimus, inde emicantes vt igniculi, in fomite sensim emoriantur, vt futili & inutili. Profectò id mirum est, certúmque adeò stuporis hominum indicium: quòd cum sapientiæ sacrarium in medio situm sit, omnibúsque sic expositum, vt cuique bona fide pulsanti aperiatur: homines tamen permulti cum literarum studiosi, tum verò philosophiæ nominis studiique cupidissimi, cognoscere germanam veritatem non magnopere contendunt, quæ intus nō dubiè clausa est: cum eaq; cognita familiarius indies consuescere negligūt, tractare etiam & osculari, consertisq; digitis retinere & amplexari. Nisi verò siquid pulchrius sapientia cælesti, si iucundius, si suauius quicquam animis esse potest, si benignius morigerum, ac sese liberalius indulgens amanti-bus, secūdo quidem numine salutis, philosophiæ studium capefferibis. Quantum porrò numen, quàm mirificum genium veritatis habuisse, Christianismi promulgationem olim existimare de-

bemus, quæ polytheiam vetustissimam abrogare per orbem terrarum potuerit? quæ omnia fana oraculâque deorum exaugurare? quæ iura gentium, quæ cognationum, quæ gentilitatum delere? quæ naturæ commendationis vim, quæ mortem iuxta vitâque pro nihilo esse ducendas, persuadere? Sed scilicet ut Christus è cœlo euangelus, sapiëntiæ promulgator fuerat: ita Orci emissarius, ex Erebo obnunciator, atque ipsi germanæ sapiëntiæ & veritati oppositus anteuangelus, auspicia diremit sensim & obturbauit inualescētis philosophiæ, contemplatricis æternitatis, de cælóque seruantis. cuius solertia factum est, dira atque animabus exitiali, ut mundus qui tanquam ludus esse debebat scholasticus, animantium ratione præditorum, diuersorûmque mortalium ad Dei cognitionem conditorum: conciliabulum factum. sit errorum & vanitatum, è cælo in terram studium hominum detrahentium. Verùm (ut eò reuertamur) philosophia prisca, alumnâque Hellenismi, insolētissimè verba mortalibus dederat, inane ac ridiculum simulachrum commenta isothei cuiusdam sapiëntis, ut Homericum verbum vsurpem. qui vir iudicio eius sapiens, numerósque omnes exquisitæ rationis affectus, vitæ suæ tenorem in offensa serie catorthomatum contexeret, rectorûmque officiorum: sicque nunquam peccator, nunquam non inculpatus, vitam ageret. id quod vni tantùm cōtigit Ipsi, quem sapiëntiæ auctorem, virtutum consumatarum parentem ac conditorem esse nouimus, vitiorûmque deletorem. Quòd si quibus ab eodem Ipso datum est singulari indulgentia, ut sensuum petulantiam, ut motus animi præcipites & abruptos, aut dementes & inconsultos, in potestate, quasque vinculis vinctos haberēt Domini deique reuerentiæ: non minoris id donum utique æstimandû est, quàm illud cōmentitium Æoli regis deique poëtici, qui ventorû sic potens esse dictus est, omneis ut eos in virem quasi in carcerē compactos, Vlyx inauigaturo dederit, ut est apud eundem Homerum: vnûmque tantùm ventum à puppi flantem vinculis illis exemerit, in patriam ferentem, cuius incredibili tenebatur Vlyxes desiderio. Immunitas est hæc singularis omnino & eximia, rarissimique exempli. quod olim prouidentia in diua eiusdem Ipsius parente Dei atque hominis, non modò à partu salutis integra atque intacta, sed etiam à nœui natalitii cōditione immuni, ut credimus: atque in vna fortasse præterea, aut in altera anima, aliquândo vsurpauit. Certè Paulo suo Dominus, cum mæcipio nouitio & gratisimo, tum verò fictili lectissimo, iterum id & tertium pernegauit, poscenti & flagitanti argenti mo-

lestiæ vacationem. idque post rerum cœlestium inspectionem negavit, ne intellectui quidem humano, nedum oculis cedentium. gratiâque tantum tutelarem ei dedit, muneris pernegati succidaneam, digitum transuersum (vt aiunt) ab eo non discedentem. Ita fert autem humanæ conditio infirmitatis, & ratiocinatio hallucinatrix, tranquillo, vt interdum, interdum etiam in portu vt impingamus. quippe cum nusquam non, nunquamque non, tempestatem intus Æolus cieat, non Hippotades ille Homericus, sed tartarides. Huic enim Æoli nomen à mobilitate mirabili, & versutia sanè quàm versatili, conuenit. Tametsi tum maximè Vlyxi stoliditas sociorum suorum, animoque sensuum proteruitas, esse debet formidolosa, subdola cum ridet placidi pellacia ponti, vt inquit Lucretius. Improvisò enim nonnunquam tempestas fœda ac procellosa cictur, eoque nocentior est, quo minus erat suspecta. Nam quæ tempestas, quis præster, quis turbo ignitus in aëre, torrentior est aut atrocior, quàm bilis in homine, cum repente efferbuit? At verò ægritudo animi ori obducit tetra nubila tristitiæ, vultuosos homines efficiens. Excandescencia cælum & terras, rationem & appetitum brutum miscens, toruè intuetur & minaciter, ex oculisque eiacularur fulgetra terribilia atque coruscantia, toto cum ardentis ab ore scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis. Qui etiam si ipse in felle amarulento, quasi in nube procellosa collectus, ad vindictæ præcipitis fulmina exarserit: impetu iam inde cæco amentique furens, per omne fas, nefas, ius, iniuriâque fertur, calcata atque obtrita iuris humani diuinique reuerentia. Ecce tibi opposita è parte læticia gestiens, quæ aliquem ob successum, immodicam sæpe affert oris intempestiuâque serenitatem. Siquidem & frontem indecorè diffundit & exporrigit, intusque liquefacit animum fluxa ac dissoluta affectione. Iam verò spes non dubia, iam deplorata expectatio, in eodem pectore alternantes, faciem hominis ad lætitiâ ambiguum ac tristitiâ, quasi habitum cæli incerti reddunt & ancipitis. Hæc cum naturæ sponte in minore mundo fiunt, innatisque in homine vitiorum fomitibus, perinde vt in mundo maiore cælóque crassiore existit sæpe intemperies: tum furie illæ infernæ, temerariis è causis nocendi materiam naçtæ, in mente composita nonnunquam, nihilque tale suspicante, varios cient turbines, ab iisque periculum capitale creant animæ: nisi ad sacræ philosophiæ præsidia, tanquam ad Asylum certissimum, is qui tumultu cæco oppressus est, perfugium sibi comparauerit. Verum vt aliptæ ex-

ercendis corporibus vtilis sunt & appositi: sic animis exercendis sollicitationes illæ mentium compositarum, sæpe sunt non incommodissimæ. Nam absque infestis earum crebrisque incessantibus esset, multi supina quiete somniculosæque gaudentes: nec opinato opprimerentur tumultu, ab illo vigilum Cimmeriorum præfecto, qui ab eo Græcum nomen inuenit, quod delationes rerum capitalium apud Deum facit. Is cum optimo cuique atque cordatissimo negotium exhibere cæcum, intestinum & perpetuum gaudeat: excordibus tamen ferè eiusmodi molestiæ sceneratur immunitatem. in qua immunitate incauti mortales securique, acquiescentes, rerum repentè capitalium rei ab eo facti, apud Deum clementem simul ac seuerum iudicem, damnatique, subinde permittuntur lorariis imminuentibus, in horrendam illam sedem pœnarum miseri furiarumque deportandi, semel atque in sempiternum. Hoc cum ab ipso, cuius nullum verbum non ratum est futurum, cum à Deo, cum ab ipsa veritate denique præditum sit, palàm etiam atque pro concione, pro sententia, pro potestate dictatoria semel pronunciatum: trino insuper nundino (vt ita dicam) promulgatum: verum cum hoc nihil testatius, nihil consignatius esse possit: & verò cum in actis adhuc Seruatoris perscriptum, in tabulis perpetuis proscriptum sit & expositum: ecquid causæ est tandem, quin mundus ab eodem Ipso sæpe contumeliosè dictus, qui & sensus & prudentia communis à nobis appellatur, tametsi animans permultorum sit capitum, nec aureis tamen ipse habere, nec oculos videatur? ne sensum quidem vllum non stupidum, non torpentem, non emortuum, ad res dignoscendas animæ commodissimas, eidemque nocentissimas? Ecquid (inquam) causæ est, quin nostrum vnusquisque qui communi sensu regimur, nec secum ipse religiose, nec cum propinquis, necessitudinèque initiali coniunctis, candidè, nec cum ipsa sapientia: cum Deoque non impiè, non irreuerenter agere manifestò cōpertus sit: nec tamen ob id atrox præconium cæleste perhorrescere? Hactenus certè iustitia valet hodierno tempore, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, non item quæ Dei sunt, Deo reddat. Huiusmodi sunt præstigiiæ emissariorum mundi principis: sic mortales fallunt Sirenū blandimenta, quas multi fugitantes (vt iam diximus) dederunt se solitariæ philosophiæ. Ardua est enim & impeditissima vmbratilis illa palæstra, cum ciuilis vitæ theatro coniuncta est aut finitima. Ex Ægypto igitur excedendum, è Babylone erumpendum: & vt rem diuinam tranquillius Domino attentiusque faciamus,

vnus diei saltem iter abeundum est, atque etiam plusculum, si interesse animæ salutisque visum fuerit. Id quod ægrè, & respectantes identidem, auersisque propemodum vestigiis faciunt, qui arctiorum necessitudinum nodis, aut commerciorum nexis, cum ipsa Ægypto coniuncti sunt. Nam honoris compedes, & vincula ambitus atque cupiditatis, tum siqua sunt alia argentea atque aurea retinacula, nec abrumpere iam valet, nec soluere philosophia. Aurea verò huic similis (si credimus) & argentea erat scilicet illa vita, quæ à poëtis decantata est, admirationique habita: aureusque hanc vitam in terris Saturnus agebat. Mihi autem qui totos se in ambitus ærumnas dedunt, quasi Empedoclidæ quidam videntur esse, qui aut gloriæ inanis aut pecuniæ quærendæ desiderio, in craterem Ætnæ similem se coniiciunt, ut ad mortem usque ardeant. nam ut inde in Phlegetontem ipsum sidant, ominari vereor. Certè quidem qui è compositis & explicatis vitæ rationibus, ad gestientem illam cupiditatem omnes animi facultates effundunt, qui omni contentione incumbunt ad patrimonium suum aliorumque nonnunquam coaceruandum, aut qui ad fastigium attollendū laris sui familiaris: non absimiles ipsi sunt eorum quondam curiosorum hominum, qui ad oraculum Trophonii, antrumque teterrimum, descendere sustinebant nulla digna de causa. Placentulas enim crustulæque mellita secum ferentes, iisque sperantes reptilia mulsam ire, quæ introeuntibus occurrebant obuiam: capitale in fraudem sese coniicere non prouidebant animo, in antrum intrò se dantes sinuosum & cauernosum: quo ex antro eodem exitu aditumque uti, homini contigit antè nemini, ut auctor est Philostratus. Atqui hos præposteram vitæ rationem sequi, atque etiam peruersam nemo non intelligit, qui quidem peritus sit, pauloque accuratius eorum subducere rationem institerit. Etenim nec nauatæ industriæ rebus illis, nec impèsi temporis, nec contritæ ætatis, nec ærumnarum interim exhaustarum rationem ipsis constare facilè deprehenderit. Fortuna enim ut choragus imperitus, temerè induit unicuique in proscenium prodeūti, personam necabilem ipsi sæpissime nec utilem. & ut fictrix sit hominum ipsa, ut Prometheus fuisse dicitur, non tamen formatrix est etiam eorum, ut est philosophiæ genius. Adde quòd interim Christianismi stipendia non procedunt, iis qui castris Hellenismi, qui præputio (ut sic dicam) cupiditatis, nimio opere auctorati sunt. Sed enim legis euangelæ duo prima capita & precipua, moribus propè antiquata sunt ordinum primariorum. Multum-

o. j.

que in vniuersum per (inquam multum) sæcula iam decoxerunt Christianismo, tum fidei bonæ, tum spei, tum charitatis. Proh diui immortales, iudicium nostrum hebetissimum, immo verò prudentiæ iudiciū, non iam cōmunis, sed prætextatæ, sed purpuratæ ac trabeatæ, principibûsque personis insignitæ & conspicuæ. Nanque si caliginem humani iudicii tanti ista bona licentis, tute dempseris aliquantis per: quod philosophia facit in æuum: fortunata vtique ista conditio vitæ & amplissima, quæ splendore suo oculos nostros præstringit, vt futilis & aspernanda continuò iacebit. Ad eundemque fermè modum fulgor ille fortunatæ vitæ conciderit, vt adamas fuligine sublita micans, carbunculûsque in funda flagrans bratteola substrata, gemmeo decore & fulgore exuuntur, ab illo si atrum, ab hoc si purpureum substramen exemeris: sicque, demum fucum factū oculis miraberis. Quin & colossicos illos homines, capite (vt sic dicam) minutos inuenies, si quidem ad viuum vsque specillum philosophiæ demiseris, ad explorandum fortunatæ vitæ, fascibus istis succinctæ, vitium & miseriam. Quippe vt cognationis iura gentilitatisque retineant, & ciuitatem tamen & libertatem amittunt, qui Sisyphium saxū magno cum sudore subuoluunt, interdumque horrore. assiduos enim eos & peruigiles antistites esse fortis fortunatricis necesse est: si vicissim ipsi assiduos comites habere flamines suos cupiunt, qui suo stipatu spectandos homines æmulandûsque faciunt. His adde quòd duabus illi rebus mulctati sunt, quas Democritus sola esse, aut summa bona putabat, *ἐὐθυμία* & *ἀναιμία*. quo apparere potest quanto cum dispendio ocium honestum & compositum, negotio permutetur interdum, lauto quidem illo in speciem & splendido, sed tamen reuera futili & vitreo. Testor hîc, vt alibi sæpe feci, hoc acroama theatricum non esse, sed Academię potius aut Peripati abstrusi. Verum si degenerem istam rationem, qua vita in medio posita, ciuilis, vrbana, aulicæque reguntur, philosophia semel è mente hominis absterferit, rectæque rationi & quasi natalitiæ hominem ipsum restituerit: ilicet prudentia communis verterit in stultitiam. Alioquin autem vt mores iam ad rationem peruersam incubuerunt, nullo thure litabis, hæreat in stultis brevis vt semuncia recti. Iam verò animaduertere nos oportet, quòd vt tentationes sunt permultæ ægrotationum in corpore: sic tentationes furiarum in homine interiore, plurimæ illæ quidem & perennes, sed cæcæ & abditæ, nec ab arteriæ micatu æstimabiles. quales sunt voluptatis incessentis ac titillantis affectiones, auaritię atque cupiditatis

stimuli, & cuiuscunque permotionis procacis & petulantis. Incessit igitur mortalibus aut voluptaria, aut alia æquè improba proteruâque cupiditas? meminerint philosophiæ alumni specimen sui dandum esse oculis Dei spectatoris atque superum, sub præsidioque Domini tantum: norint se, ac sibi persuadeant dimicaturos citra noxam memorabilem. & quidem quanuis aliquandiu athleta dominicus certamen experiatur durum atque acerbum, lætabitur tamen deinde, sibi que grātulabitur, quod ea ærumna exercitior factus sit. Cùm autem alia aliis grauiora sunt certamina, tum verò rerum vehementer aduersarum colluctatio cum equitate animi, dolorisque vrentis commissio cum pertolerantia, fœdum sæpe spectaculum edit cœlitum ordinibus, etiam si fœdius interdū quàm exitiabilius. Labat enim plerunque in atroci conflictatione virtus, quæ nondum planè tyrocinium posuit: ad dolorisque impetum quatitur & vibrat constantia fidei, etiam meditata, etiam in alieno antea certamine ad palmam cohortatrix strenua & assidua. nulla porro pars virtutis minus ad experimenta respondet. In nulla ferè vitæ parte sapius vanitatis profana philosophia, luculentiusque manifesta semper fuit. Adde quod intelligentiæ humanæ modus, ad prouidentia diuinæ consilia perspicenda incumbens, sæpenumero cedit obscuritati. tum elogiorum sacrorum liberalitas, consolationisque supernæ fomenta, eos nonnunquam destituunt, qui fiduciam plenam non habent, sed pro modo tantum coniecturæ suæ sapiunt, communisque prudentiæ. vtpote quæ iudicia rerum faciat ex euentorum varietate magis quàm ex oraculorum auctoritate. Vnde fit, vt vel ad fortunæ fauientis impetum, vel ad noxæ pertentantis appulsum, vel ad mœstitiæ vehementis aculeum, mens humana torpeat, quasi stupore perculsa atque hæsitantia. Mihi certè hoc velut carcinoma hominis interioris aliquando visum est, quod nec lenimento æquanimittatis, nec scalpello fortitudinis, nec caute philosophiæ, ita vel mitigari, vel tolli, vel domari tandem possit, vt subinde non rebellet, sæpe etiam incre scat, & magis ferum redeat. id quod à doctis ac meditatibus minus, ab experiētibus & in eo exercitatis longè melius intelligitur. fomentis igitur magis ac lenimentis philosophiæ, quàm imperio coercetur rationis atque seueritate. Lectio autem scripturæ oracularis, assiduâque commētatio, valida depultrix est hæsitantiæ: fidei verò & fiduciæ blanda cōciliatrix cū securitate perfusæ, tum eodem in ipso acquiescentis quem sæpe iam diximus, vt auctore certissimo speratæ æternitatis. adde etiam spei bonæ ratæque suppeditatrix.

o. ij.

At fortis fortunæ genius, felicitatis temporariæ rerumque secundarum largitor, vel creditor durus potius & fœnerator, idem quoque importator est æternæ calamitatis ac detestadæ sortis. Hîc rursus in mentem venit commentanti, hominum secordiæ dicam an vœcordiæ? qui in exultatione & arbitrato rerum ad vitam beatissimam spectantium & ferentiû, tanta inertia, inscitia, torpore præditi sunt, animique marcore, quarum inspectionem Deus cum naturæ excellentia, menti humanæ dedit. Qui si paulò cordatiores essemus, nequaquam præposterum amorem coleremus, malâque pro bonis tantopere expeteremus. Quis autem nostrum nescit, quis non sæpe fateri cogitur virgente conscientia, delicias vitæ, rerumque secundarum blandimenta, nec bona esse nec commoda, sed bonorum imagines verius, & ludibria sensuum, illicitâque cordis perniciosissima? Quis verò nō dicere seriò solet, res aduersas, vitæque molestias, flagra esse Domini, pistrinâque salutis, quibus familiam sibi charâ, desponsam & adoptatam, in officio continet? Seuerum enim esse parentem eundem ac dominû accepimus, & familiæ amantissimû: ab eoque seruos eosdem frugi atque liberos vapulare sæpius, quàm nequam & abdicandos. Non sumus porrò nescii ærumnosam esse viam virtutis, elogio quoque prisce sapientiæ, ob idque penè à via vehiculari, prætoriâ & militari diuersam atque auersam, quæ à multitudine mortalium stolidâ & satagente trita sunt. Videlicet plumbei sumus homines, non aurei, non argentei, qui in fornace aduersarum rerum liquecamus, non purgemur & exploremur. Atqui compertum habemus, Seruatorem ipsum nostrû, cuius demum auspiciis vtentibus & fretis sperare fas est aditum cæli, hac eadem via vestigia fecisse perpetua, cum hîc studium sapientiæ disciplinamque institueret, quam resipiscentiam appetentis salutis prænuncius, quasi que speculator mundi præmissus, appellauerat primus. Nec verò pedissequos Domini ipsius seruos & circumpedes, à manu quoque & à secretis, denique sodalitiâ manum, cohortem insuper amicorû & comitum, quos honoratissimo loco semper numeroque habuit, fratresque salutauit: & porrò eos ipsos è quibus centurias ipse primas conscripsit, cohortesque firmissimas aduersus tot gentium tantarumque efferatam multitudinem, non omneis (inquam) illas nationis beatissimæ primitias, eadem disciplina in cælum affectasse viam atque adeptas esse, inficias ire aut possumus aut volumus. Hæc & alia eodem pertinentia cum probè sciamus ipsi, & vt nobis comperta identidem cōmemoremus: cum eo demû nomine memoriam

illorum vt consecratam colamus & veneremur: quid causæ esse dicemus, quamobrem nullus nostrum, quanquam Christianismi discipulorum, dieculam vel vnam, pistrinum resipiscentiæ euangelicæ, pœnâsque pendentis Domino conscientiæ, versare, eorum æmulatione sustineat, animi cum æquitate? At diuos ipsos iam immortalis, ipsos etiam vades Christi in re capitali, in quæstione acerbissima factos, atque atrocissima, ad eam molam versandam libentes se & hilares dedisse credimus: in eâque ærumna, quasi in eo pietatis munere perfungendo, ad extremum vsque spiritum tolerauisse. alios inopiam rerum omnium qua vita carere potest, consertis (vt dicitur) pectinatim manibus, totius corporis animique contentione, pro pignore summi boni amplexos esse, & tanquam pro tesera sortis beatissimæ. Quarum rerum omnia si abnuenda nobis, si votis conceptis & nuncupatis procuranda existimamus & depellenda, vt malarum & noxiarum, id quod palàm atque exaudibili voce facimus, ad hostes atque ad inimicos ea reiicientes: cur sanctarum animarum exuias eas ob res consecratas, osculo dignas religioso ducimus? idque iure ac meritò facimus? Cur crucis Christi assulas, ramenta, scobem, sicubi nos esse nactos cōfidimus, pro amuletogestamus depulsorio? Atqui hæc ærumnosæ vitæ, cōflictatæ, ac vexatæ, indicia sunt & monumenta. Specillum hoc profectò præcordiale, nullo fortasse minus certum & acre, inter alia permulta nobis admouit Deus, ad explorandam vel refellendam potius & demonstrandam fiduciæ nostræ conditam intus infirmitatem atque futilitatem. Quæ (malum) est ista sensus ciuilis prauitasne dicam, an peruersitas? Nos fidem ipsi dedimus, sacramento enim adacti sumus in tinctura lauationeque mystica, ab eo instituta: vicissimque fidem ab ipso accepimus, testatam, scriptam, & obsignatam. Quotus autem quisque nostrum fœdere stat & pacto, inito die suo lustrico? Nimirum sceleris instar est perfidiosi & capitalis, accepto dextræ diuinæ pignore, in eo minimè acquiescere. Amentia est nefaria, in optione bonorum, & vitæ conditionis, fidem sequi (vt ita dicam) Mercurialem potius, & oculatam, ac circunforaneam, quàm in spe propinqua positam, quam spem ille Ipse absolutè dictus, fide sua esse iussit: nec verò fide sua vnus (quanquam erat abundè) sed fide tot testium, pignoribus & capite oppositis, repromittere non grauatorum quæ ille pollicitus est. Tamen si Ipsius cum sponsionem dico: omnes numeros certæ & exploratæ & compertæ fiduciæ significo, qua nulla maior esse aut excogitari potest. Siquidem vnus

o. iij.

Ipse est, qui fidei conditor est, qui veritatis genius, & ratio substantiæ eius est : qui nullius non promissi potentissimus. At nos ab eodem Ipso auctore, summi Dei filio & institore, bonorum æternorum spem Græca mercamur fide (vt Plauti verbo loquar) non Christiana, & pietatis cultoribus conueniente. Quid autem in causa est diræ huius mutationis ac degeneris? Circumstat nos demonstrationum theurgicarum fides, grammicis illis certiorum, atque mathematicis : quæ confessionem nobis exprimit hærentibus, non item assensionem. An expectamus illud tempus ad confirmandam opinionem, cum iam non veritatis argumēta validiora, sed horror nos mortis vadantis ad iudicium, circumstabit? cum iudex Ipse omnium, pro imperio summo, pro potestate dictatoria, seueritate fortasse cæcilia & Cassiana, vim illam licitorum Erebi, corporis animique carnificum futurorum, lege agere iubebit Adrastia? Credamus igitur obsecro, per Ipsum, per superos, per illos iam diuos & immortales : credamus (inquam) quæ de superna infernaque æternitate, prædicta sunt proditæque diuinitus. nec assensione supersedendum putemus, donec in rem præsentem abducamur cum illa multitudine innumerabili Ephecticorum : horret enim animus dicere, dum obtorta gula trahamur, rapiamur, & auferamur. Atqui vbi iam theca animæ, vel exanguis senio vel infracta, vel præmaturè rupta non moratur animam, vereor vt integrum sit resipiscere. In leges, in instituta, in fidem Christianismi semel iurati sumus : sacramento Domini & monarchæ solius, & rerum potentis humanarum cœlestiumq; conceptis verbis diximus : videamus quæso etiam etiāque, ne de rebus testatissimis addubitando, à susceptæque persuasionis paracleti spiritus interuentu, quouis modo desciscendo, inexprabili religione criminæque nos obligemus. Scelus est enim, scelus (inquam) & nefas est, tantam rem comperendinare, cum de causa liquere illico nobis debeat. Quos verò sic obligatos perduellis ille perpetuus natus est, eos agere transuersos ac præcipientes ferre solet, per sceleratam viā, per deuia, per auia : procūque à vestigiis Christi, indēq; ad Charonium (quod vocant) antrū detrudere ad extremū, vt Lotophagos in vita, & immemores patriæ. Appellat autē ambigentes primū mortales, in Christianismōq; labantes, de reuerētia diuini numinis exuēda, de timore ac religione calcandis. Nempe quasi Dei prouidentia immortalis, aliud curans, nec mortalium rebus inspiciēdis vacet, nec votis eorum exaudiendis feriata sit, ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, quod dixit poëta Epicureus auctor apud quosdam

grauissimus (vt rumor est incredibilis) animorum mortalitatis. Deinde glaucoma cupiditatis, omniuagique erroris nebulam ob oculos Cacus ille obiiiciens, excæcatos tandem deducit in abrupta væcordis licentiæ, quæ instar est Atheiæ. Cor autem humanum, bonarum & malarum cogitationum consiliorumque receptaculû, prout his aut illis aditum ac liberam sedem dederit, ita de anima optimè vel deterrimè consulit. id quod ita demum in potestate est hominis philosophi, si id non de suo sibimet ipse spondere, sed de Domini beneficentia meminit, quem cordis cuiusque nostrum claustra in manu habere præpotenti certum est. Quin & scopulis eiusdem Domini iis opus est, qui domicilium suæ mentis bene versum & mundum seruare cōcupierint. Scopulæ autem virgæ sunt colligatæ, quibus quisquiliæ recrementaque rerum vtilium, id est redundantia, circumuerruntur: quibûsque sordes excutiuntur è conclauiibus, quæ ad honoratos conuiuas hospitésque lautè accipiendos, sternuntur & exornantur. Quonam igitur modo verbum Dei accipere commodè atque efficaciter possunt, idque in rem suam atque animæ vertere, qui dieculam vnā feriari, ne diei quidem vñciam, animo quisquilioso soliti sunt, à cogitationibus, curis, desideriisque flagrantissimis rerum dissidentium cum theoria, acriterque pugnantium? Ita, inter cælipetas profiteri hæc hominum natio, censerique iure nequit, quæ viam veritatis & vitæ ingredi vehementer detrectat, quam ærumnosam diximus, in cælumque ferentem per mœrentem pœnitentiam. Atqui diuinitus ipsa nobis primùm, ore antambulonis verbi Dei indicta est: deinde ab ipso verbo palam ac pro imperio iniuncta. Sed quotus iam quisque nostrum tanti respicere & pœnitere vult emere, vel tantulo potius, quod venit olim in prouerbum? Vsq̃ue adeò damnosi negociatores atque inscii sumus, qui foro vti rerum sempiternarum non didicimus, non cupimus, non discere laboramus. adeò cælestis ille Orpheus, qui lenire tigres, qui cicures reddere leones, qui saxa mouere sono testudinis potuit Musarum æternarum, flectere mentes humanas desiit silice duriores. vsque adeò Sirenum auocamentis, & blandimentis vitæ, auersas aureis habemus ab auscultatione magistræ sapientiæ. vsque eò denique eloquentia ipsius Pithagoræ, Suadæ parentis & conditoris, diuinæque orationis facultas: quæ torrente spiritus admirabili totum per orbem exæstuante, brutas animanteis efferasque verius quàm homines, ad concionem suam sacram celebrandam rapuit: flexanima iam non est, saxifragumque illud verbû Dei, carunculas

O. iij.

præcordiales penetrare nunc exanimis & emortuas nequit: tantum interest inter delectitias copias prouidentiae, & multitudinē reiectaneam, apud quam Pithò oracularis (quod Comicus Græcus inquit)
 ἡ πείθει, ἡ δ' ἢ πείθει. Heu pietas, heu prisca fides, quò tandem abierunt gentium? in cælúmne remigrarunt? paulatim igitur ad superos Aethraa recessit hac comite fide scilicet prisca, heroicarúmque ætatum, atque duæ pariter fugere sorores. Verum enimvero qui virgas diuinas atque emendatrices experti sunt, in rebúsque aduersis callú duxerunt patientiæ: iis casus calamitosi, damnáque facultates atteréntia, omne etiam genus conflictationis & molestiæ, quædam velut tributa sunt, quæ mancipia frugi, Dominóque fidelia, è peculio suo sanctiore pendere iure euangelico debent, arbitrato Domini, vnáque accessionem æquitatis animi. Etenim Dominus ipse vsura luculenta testatus est versuram se facturum à familia sua, quæ in rebus quidem huiuscemodi fœnerari non grauaretur hilarem patientiam. Quo liquere satis potest, quantum compendium in futurum ii faciant, qui in rebus acerbis atque etiam vrentibus, Domino se dedentes ad pœnam, insuper ab officio seruili non discedunt, non modò flagra Dei non expostulant vt iniuriam fortunæ, aut iniquitatem queruntur sortis natalitiæ. Atqui intelligimus, si animaduertere vacat, esse omnino optabilius, bonorum istorum iacturam æquo animo, quasi in tempestate leuandæ naus causa, & salutis ergò facere, quàm in naue exaggerata & prægrauata, vita periclitari: & verò vita illa, beata immortalíque futura. Nam bonorum aut corporis, aut externorum, aut vtrorunque dispendium, æquo animo acceptum, quidnam aliud est ipsum, quàm quod in diem fati ab omnibus dependendum est (qui dies iam inde à vitæ rudimentis cedere omnibus horis cœpit lege mortalitatis) ante diem paulum representare non nolle, idque Domino fœnerari sesquicentesimo fœnore, longéque ampliore? Qui autem quærendarum possessionum, dominatum, & prædiorum, augendarúmque facultatum, & gerendorum honorum cupiditati, nuncium remittentes, fortunámque suas sibi res habere iubentes, ad bonorum æternorum cupidinem, & ad philosophiæ Christi petæ studium incumbere institerunt: ii mihi videntur creditorem illi quidem, sed optima atque plaudenda vertere condicione. Siquidem rationum suarum diaria atque calendaria, ab Orci ipsi mensa, dirísque institoribus eius atque numulariis, ad eius mensam creditoris transcribunt, qui condonare omnia solet benignissimè iis qui soluendo non sunt (quæ multo maxima pars est

hominum, ne quid amplius dicam) nisi meditentur debitores ipsi ac decoctores, etiam inficiatores esse. Quanto igitur consultius est & commodius, nomina à Christo parente facere æqui animi atque patientiæ, nexum etiam fide bona inire abstinentiæ legisque reuerentiæ, quam versuram repræsentatæ felicitatis facere ab hiantibus illis faucibus Orci, animarum voracissimis? Sed enim ut est apud auctorem priscum, his populus ridet, multumque torosa iuuentus, ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. vulgòque gladium verbi Dei, qui Caucasias rupes olim secuit, qui iura gentium naturæque rescidit, *ἔπειτα πλεόοντα* facimus vrbanitate scelestissima. Malim equidem hoc loco Heraclitus ille videri, quàm Democritus, qui risu irrifusque prosequabatur ciuilem prudentiam. Nam in rebus hisce ridentes, eorum videntur esse mihi similes, quos aliquando in gladiatorum spectaculis aiunt, traiectis gladio præcordiis, moriendo risisse. Sit autem hæc disputationis nostræ summa: rerum secundarum tenorem plerumque in Orci fauces insinuare ac desinere, vnde pedem sursum retulisse præter vnum Ipsum, adhuc nemo cōpertus est, quod quidem proditum sit diuina auctoritate: aduersarum verò rerum atque patientiæ tyrocinium, in senectutem differre velle, summæ esse omnino imprudentiæ: quod elogiis claris testatum est cælestis sapientiæ. At cui plurimis velut emeritis stipendiis rerum aduersarum tolerantia, nihilominus ad extremum fides constitit, felix verò ille planè ob infelicitatem. Cuius vtinam sententiæ memoria efficax & strenua, quàm cordatissimo cuique mortalium cordi est, tam in corde nobis inusta esset cautere diuinę prouidentia. Sed nihil æquè controuersum est fortasse inter philosophiam Christigenam, ac prudentiam communem. Homines enim à consuetudine vitæ inusta, à cogitatione secundarum rerum blāda atque iucunda, abducere non minus penè est difficile, quàm qualitates à materia dirimere commentando, aut mentem ab anima: & hominem minimè aspectabilem à corpulento & tractabili. quæ notha quadam intelligentia fieri, philosophia censet humana, parumque nobis familiari. Quare in rebus diuinis commentandis, non tam anima quàm animo ac spiritu opus est. Ut autem ad id redeam quod dicere cœperam, non magnopere mirū est, ipsum mundi naufragi conseruatorem, rerum aduersarum tolerantiam insontem à nobis exigere, qui cum sua sodalitate non mitius egerit, ut superius dictum est, quàm sodalitatem à patre sibi datam & cōmendatam, salibus illis amicitiaë quotidianis dignatus est, qui sunt apud

Græcos in prouerbio: iis etiam ipsis è mensa cælestis sapientiæ trās-
latitiis. Quippe qua cum sodalitate, fraternitatis & beneuolentiæ
summæ necessitudinem tacitam pepigerat, protinus à primore con-
gressu: qui etiam homines obscuros, tyrannorum atque impietatis
verberones, cognitores suos, veritatísque antistites mundo dederit:
ipsis etiam cruentum testimonium & capitale, ad furentis sæuitiæ
concilia denunciarit. Qui ipse crucifer esse, ac furcifer traduci per
ora multitudinis, post contumelias verborum, post iniurias verbe-
rum, post lorarios acerbissimos, fustuariúmque sustinuerit. Denique
qui omnia exempla pœnarum pertulerit ante supplicium illud, lō-
gè omnium facinorum tum vi atque efficientia amplissimum, tum
multifariam illustrissimum, superis item & inferis, cælo & elemen-
tis, stupore naturæ luctúque testatissimum. Quæ omnia æterno se-
natusconsulto prouidentia, idcirco decreta fuerant, simul vt morta-
libus statueretur exemplum diuinæ & cælestis sapientiæ, mortali &
fluxæ è regione obuersæ: simul, lex vt sanciretur apud homines æqua-
nimis patientiæ in rebus acerbissimis. Qua utique parte theurgiae,
exemplariq; domini patientia, tyrānus ille mundi clarissimè triūpha-
tus est, vnà cum suis illis copiis Cimmeriis ac teterrimis, cum om-
ni clientela crudelitatis, sæuitiæ, impietatis impurissimæ. Pandito
nunc Heliconæ Deus. Num tibi si linguæ centum sint, oraque cen-
tum, ferrea vox: possis ipse pro rei indignitate exclamare in mores,
in torporem, in veternum, in marcorem, in perfidiam diram fœdi-
fragæ vitæ, communisque prudentiæ? Incipe Calliope, si tamen
nobis adesse potes. Ecquisnam igitur datæ dextræ tanto talique mun-
di vindici & assertori, ab eoque acceptæ fidei, videtur nunc memi-
nisse? num cui in mentē venire inter curas ciuiles, præmiorum pœna-
rúmque potest haud dubiè nos manentium? nōne omnes fermè
lethæa potione inebriati, à sensu communi propinata, somnū obdor-
miuimus amnestiæ Stygiæ, in lecto incuriæ perditæ, in culcitra supi-
næ conclamatæque desidiæ? Id adeò è vita cognoscere quiuis potest
in medio posita. Mortales pusilli, ter & quater & centies ausi capi-
talia, & rei non dico comperendinati, sed in diem, in horas amplia-
ti, etiam genio indulgere, symphoniacos poscere, ædes, prætoria, pe-
nates architectari æmulos regiarum sustinent? nec euentum iudicii
formidant appetētis, supplicii que sempiterni? Qui resipiscentiā mœ-
rentem & lugubrem ordine & professione præferentes, sordidatis
& squallentibus similes esse debebant: in auro, in purpura, in pom-
pa, in theatrica transuersione sublimes ac stipati, eaque specie

conspicui esse cupiunt? habitu etiam propemodum & cultu triumphali, omnium oculis designari? Ita toga pura innocentiae priscæ, candidaque sacerdotum demissæ simplicitatis, ad togam pictam, propemodumque palmatam, ad prætextam superbam fascium profanorum euaserunt, mundo degenerante. O mores olim iam degeneres, ac discrepantes ab ordine Christigenarum, nedum sacrilegarum. tametsi in nullo non ordine initiorum amnestia Christianismi disciplinam obruit, fideique eius mirificam efficaciam. Quid enim? Sed consultius (ut opinor) fecerimus, si quæ exprimere nunc oratione nec opportunè, nec festiuè possumus: Timanthis illius pictoris exemplo, contegamus silentii velamento. Iure igitur & meritò Hercules ille noster, Ipsèque Deo genitus, cæli & mundi decus: cælo etiam delapsus ad iuuandos mortales, vel ad seruandos potius animos immortales, ad internicionem generis sui iandiu pereuntes: idem ærurnarū mirabilium atque inauditarū confector, ad imūmque exhaustor: Iolaos quoque suos & comites, ærurnos esse iussit, vestigiāque sua per pauperiem, per ignominiam, per mudi contemptionem legere eos docuit, ad beatam vitam rectā non dubiè ferentia. Nam ipse in cruce æs alienum obæratæ inferis mortalitatis dissoluerat: eiūsque chirographum è loco superiore & conspicuo inenarrabili beneficio expunxerat, nulla præscriptione temporis, nulla exceptione alioqui refutabile. Neque autem qui eorum quos diximus, omniūque adeò Domini asseclarū successores se profitentur esse, hæreditatem tantū honorū bonorūque creuere, ut eorum non paucissimi persuasisse sibi præ se ferunt: quorum è numero illi sunt, qui credunt ingens pauperiem vitiū, ut inquit Horatius. neque non iisdem ipsi legibus in eorū locum vicēsque fuffecti sunt, quanuis iam desitas moribus & obsoletas, qui in procuratione animarum rationēque dominica strenuè & pugnaciter olim testificari, aut inculpatè & innocenter pietatem colentes, eadem in ipsa demortui sunt. Siquidem instituta euangelica, non in personas, non in tempora, non in homines tantū æquales heroicarū ætatum, ut quidam iuris eius prudentes censere nunc videntur: sed in res ipsas potius, quas de rebus nunc agitur: & vero in omnem posteritatem, perpetuōque scripta sunt, nimirum ut frugalitas antiqua & cēforia, ut charitas vice publica flagrans, ut curæ, ut angores, ut mores sanctissimi, perpetui sint comites atque asseclæ fasciū sacrosanctorū: id quod diplomata hodie quoque præfantur pōtificia, sollicitæ sanctitatis priscam formulā asseruantia. Verū id recordari

atque animaduvertere ii nō queunt, qui sibi magis quā Chriſto rem gerere ſtatuerunt. Quare quid illis tandem futurum eſſe cenſemus, quorum fides collabefacta vibrantique ſimillima, verſuram tandem ſoluendam minimè ipſos cogitare demonſtrat? eāque non ſuis tantū ipſorum, ſed omnium etiam nominibus, quibus pericula creantur capitalia eorum vel exemplo vel inertia. ſcenerato etiam nunc atque vſura incuriæ grauiffima, officiorum neglectorum reliquamenta trahi. Scilicet eò iam mortales euafiſſe incuriæ manifeſtum eſt, temporum nequitia, nihil vt magnopere referre nunc putetur diſciplinæ Chriſti conſtitutio: dummodo vſu & fructu optimarum obuentio num potiāntur primæ & ſecundæ claffis homines, magna pars Chriſtianifmi proceres, ſupina futuri æui ſecuritate ſomniculoſaque præditi, atque eo nomine ſæpenumero nobiles & celebrati. At verò eam ipſi charitatem Chriſto debent in primis, quæ nec arare ipſa ſibi, nec ſerere, nec metere didicit: nec tamen vnquam ceſſare. Vni quippe vacat, ſtudiis odiſque carenti, humanum lugere genus cæca cupiditate actum. Hæc eſt autem vna virtus ſecundum fidem rectam, & fixam, quæ ſinum Abrahæ expendere, Orci fauces occludere mortalitati poſſit. Quod ſi ſcelus eſt Chriſtum & veritatem in teſtificatione vadimonioque capitali, teſtimonio ſuo fraudare, animæ ſuæ parcentem, & vitæ blandimentis adductum: fidem ipſi nō præſtare promiſſam, ambitioni, cupiditati, voluptati ſeruientem, animoque obſequentem, ſenſibus ſuis indulgenti & addicto, quo nomine appellabimus? Profectò diuitiæ ſeruorum, & affluentia exuberans in miniſterio Domini, inopiæ ac penuriæ patroni & aſſertoris, res ſunt infauſti nominis atque ominis, ad eius amicitiam gratiāque conciliandam. Quid verò ſi nihil quicquam penſi habere non obſcuriſſimi homines præ ſe ferunt, quonam pacto ad extremum cum rationibus dominicis paria facturi ſint? At difficile eſt ipſum ſeruili quoque frugalitati, vt quidem eſt opinio eiufdem ordinis ſapientiſſimorum, qui tabulas huiuscemodi rationum conficere diligenter ſoliti ſunt. Videlicet ſeruorum huiuscemodi fides, vel herum ipſum ſibimet tabulas non conficere cenſet, vel accepta certè & expenſa ſibi, in rationes referre iam negligentius atque conuiuentius: quod ſummæ eſt amentia: vel deploratam ſpem habet, quod vltimè eſt miſeria: vel ſpei ſubſidiū ſibi fingit in clemētia eiufdem heri. At is exacturū ſeſe nomina huiuscemodi ad vltimū quadrantē reſtatus eſt. Vtrū eſt hoc igitur vitæ agēde rationes inſtituere, & eas temperare ad prædicta præſcriptaque dominica? an alogiſtiam

potius quam vocant, in re perdita & profligata, aut in ratione impedita conturbatâque meditari? Atqui id seruorum est nequam & pistrino destinatorum, ergastulôque tetro, perpetuo & miserrimo: aut fugam circumspectantium, & tanquam vasa colligentium. At verò fugitiuus nullus esse potest omnia pro imperio obtinentis domini, vniuersa oculis perlustrantis, supera, infera, in mediôque posita, exposita iuxtâ atque condita. Ita nihil reliquum est ad spem expectationemque certam dominici imperii contemptoribus, nisi vt ad Erebi asylum se proripiant, pœnarum domicilium, durum, horrendum & sempiternum. Proh diui immortales, præcipientes vitæ abruptâsque rationes. Christi prouincia fuit regnum euertere cupiditatis, astringere charitatis & beneuolentiæ: ii autem qui se christos Christi esse gloriantur (de multis loquor, non de omnibus) ii etiam qui inter magistros censentur eius pecuariæ, eoque nomine honori (vt par est) & venerationi habentur, capitalis avaritiæ exempla prodere non verentur sæpissime in medio eius atrio, sed quasi in theatro. Quanquam quid mirum (aiebat quidam satyriscus è proscenio) si ii qui in ouile Domini per posticum ingressi, vel pseudothyrum potius, à Domino olim obstructum, & multis ætatibus nulli peruium: sic fucum aliquando sponsæ Christi ac dilectæ fecerunt, vt Iupiter ille Terentianus, per impluuium aureo imbre delapsus, Danaë fucum fecit? Vtinam tanti esset in regnum cœlorum introire, in eoque inambulare, versari, & permanere, sensus communis iudicio: quanti esse videmus clauium eius arbitrium ac censuram, æstimatione istius ordinis prudentiæ, Christi fascibus Augusti, meritôque eius ipsius amplissimi. Age iam, quò pertinere tandem, quid significare, quid polliceri, quid minari apologos illos sacros putamus euangelii Seruatoris, quos audire cùm recitantur, inter rem diuinam faciendum videmur magna cum attentione, quibûsque auscultare aure admodum religiosa? num acroamata esse illa, num rhapsodias censemus, retinendæ multitudinis causâ & oblectandæ, inter sacra dicatas atque ceremonias? Vtinam tam tenaces animi nostri essent monitorum sapientiæ, diuinarumque prædictionum memores, quàm rerum multarum nihil ad summam felicitatis humanæ pertinentium, ne dicam incommodissimarum, capaces sunt atque comprehensores. Sed nos velut vasa figuli, vel rimis perfluentia, vel luti vitio acceptum liquorem sensim remittentia, vel à clibano adhuc cruda extracta: rerum diuinarum intelligentiam conceptam, atque opinionem, si non protinus, at alias res agitando, paulatim

P. J.

euanescere sinimus, ex animisque nostris exolescere. ex quo fit, ut
 cum ad res minus secundas, ad iniurias vel hominum vel fortunæ
 perpetiendas, ad dolores ventum est : cum ad iram, auaritiam, am-
 bitionemve compescendam : cum ad gestientem voluptatem, arcē-
 dam & comprimendam : tum denique, tum (inquam) ut friuola,
 tum ut futilia vasa reperiamur. quippe sonat vitium percussa : ma-
 lignè respondet, viridi non cocta fidelia limo. At nos probè me-
 ditati & accincti ad certamen nobis esse videbamus in prima sta-
 tim commentatione, qualisque in umbratili quadam prolusione.
 Causa est autem (ut opinor) quod nos ut degener proles Abrahæ,
 & fide cassa, animæ multum, corporis plurimum, animi & spiritus
 parum, per (inquam) parum aut nihil animi & spiritus habemus ac-
 retinemus. Tum demum verò anima animus esse cœperit & spiri-
 tus, cum philotheoriæ studio informata fuerit, prona & aspirante
 Dei benignitate. Est enim philosophia eorum recoëtrix hominum,
 qui post Christianismum susceptum, iterum relapsi sunt in Helle-
 nismum : qui veluti colubri sunt exutam senectutem denuò resu-
 mentes : quod plerique facimus. Capitaliores tamen sunt, qui sa-
 pientiæ monita, dictatæque veritatis deuorantes in præsentia, ut iu-
 cunda & suauia : dein non regustantes ea, nec saluam illam reuo-
 cantes sale diuino conditam, nihilo meliores inde fiunt : tanquam
 stupente palato cupiditatis aut voluptatis ad epulas mystagógicas,
 quamlibet ambrosiam vehementer resipientes. Alii conclamati fas-
 tidii auditores, aut aliàs obauditores : auribus etiam fortasse redun-
 dantibus Sirenum incantamentis, appulsam sapientiæ cœlestis auditi-
 onem continuò respuunt. Quæ etiam si ab illis quoquo pacto at-
 que ægrè intrò admissa fuerit, tamen ad stomachum callosum, mor-
 ticiniisque assuetum, non magnopere facit suauitas illa doctrinæ cœ-
 lestis & immortalis, sermonisque Dei sapor, viui & animantis. Eo-
 rum verò deterrimi illi sunt, qui velut atrophia laborantes, alimen-
 tum animæ non sentiunt in tabe pertinaci. Hos nimirum ipsos,
 ipsa si cupierit salus, seruare non poterit, ut quodam loco inquit Co-
 micus. Atque huius quidem formæ plurimi sunt, auriti illi quidem,
 atque acres noxiarum Sirenum cantibus exaudiendis, urbanisque
 salibus summopere dociles : cæterum auditu mulctati ad veritatis
 perceptionem, mystica & miranda, falsa, salutariæque docentem.
 Hæc natio τὰ εἰδωλὰ, ἢ τὰ ἐπώω, cum Lucretio argumenta esse putant
 scenica & theatrica. Ad huiusmodi auditores sapientia Dei, cum
 populo, cum primoribus, cum plebe, cum ordinibus agens : nega-

bat tamen sese orationem habere cum palam proloqueretur. At prudentia vulgiuaga, homines quosdam Gratiarum lacte nutritos, earumque numine afflatos in nugis perdiscendis, lautos & elegantes esse, & æmulandos ducit, tanquam ad vitam agendam commode & feliciter factos. Nobis igitur qui Hellenismi sensibus peributum cor habemus, munienda via est verbo Dei, secundaque semita aduentanti sapientiæ: id quod Ioannes ille soliuagus in solitudine clamitando monebat esse faciendum, ut Origenes inquit. In corpore autem humano partes duæ capacissimæ, quasque officinæ animæ, cōuerrendæ sunt diligenter: summæque cum attentione præparandæ, ad verbi ipsius aduentum inuitandum apud nos, atque excipiendum: altera voluntatum & cogitationum, in corde: altera sensorum atque animi cōceptuum, in cerebro: nihil ut statuamus ipsi ac velimus, nihil ut in mente versemus, quod non sit consentaneum disciplinæ verbi Dei & Christi, atque orthodoxiæ. est enim cor humanum veluti fons quidam perennis, unde sermo interior & exterior, quasi ductus aquæ fertur, ut inquit Basilius. estque sermo noster, quasi partus quidam mentis nostræ, imaginis ipsius: ut verbum diuinum, imago est patris expressissima. Sermo etiam humanus, mentis vim & facultatem secum fert, aut similitudine eas refert, cum tamen in mente ut Christus in patre, nihilo minus maneat. Sed naturæ candorem atque simplicitatem in plurimis mortalium adulterant mēdosa oratio, vultusque ei subseruiens, vani mētis indices, & charitatis euangelicæ internicio. Auscultandum verò nobis in primis esse sapientiæ, nobilis ille auctor sapientiæ studii admonuit, qui sapientis cognomentum ob excellentiam inuenit. Is enim quasi pædagogus quidam communis prudentiæ, si docilem ipsa se præberet, cum sæculis ipse multis natus esset ante allapsus in mundum ipsius sapientiæ, de ipsa ita inquit in prouerbiis suis, Lignum vitæ est iis qui apprehensam omni ope retinuerint, nec eos ipsa fallit qui senixi fuerint. Eiusdem ille verò sapientiæ vel nomen tantum & umbram odorari & admirari visus est, cum eam non nouisset, qui in satyra olim scripsit, Petite hinc iuuenēsque senēsque finem animo certum, miserisque viatica canis. Hæc est vna denique ipsa quæ suauibus suis canticis excantare facile possit mala mundi carmina, quæ Sirenes sæpe dictæ, ad perniciem summam incantauerunt incautius in mari euagantium. Cæterum aurium discutere prius torporem necesse est, quæ ad spiritalia acroamata obsurduerunt atque salutaria: & ene etum oportet humanæ prudentiæ sensum, si ibidem pollere numen

cupimus diuinæ sapiētiæ. siquidem luculento dissidio illarum naturarū discrepant, velut ortus & natales earundem. Hellenismi autem sapientia duxit bellum olim magis, quàm gessit cum viciis & erroribus vitæ, vel indixit tantum potius. gladius autem sapientiæ diuinæ bellum ipsum decreuit & confecit, quacunque impressionem fecit. Proinde oportet discipulum sapientiæ auribus circuncisis esse (quod antea dictum est) si ex eius magistræ doctrina, animi sui spiritusque conditionem facturum est meliorem atque beatiorē. Cultor enim iuuenum purgatas inserit aures fruge Cleantea, inquit idem Persius, de philosopho prisco loquens. quanto magis igitur euangelus ipse profanas aures atque erraticas, mysticis insiturus est auribus, à spiritūque oriundis, si operam ei demus bonam atque strenuam, fidei quoque bonæ comitem? Quapropter non iam in iugis Parnassi nobis cum musis res habenda: non in Porticu, non in Academia, non in ambulatione arguta, de vita beata disputandum est: sed in schola euangelii, in olympo theoriæ, & velut in qua paradiso theosophicæ contemplationis philosophandum, siue philomorari potius id appellare placet communis sensus interpretatione: sic enim scriptura significasse dixisseque videtur. Hoc autem genus philosophiæ, mundi que iudicio philomoriæ, in sanctario sapientiæ commentari, sanctiorēque animorum in officina debet, in animus magis quàm anima excolitur: Vbi facies subacta mentis nouatur, ad meliorem frugem salubriorēque accipiendam atque reddendam. Admonitos autem lectores velim, id quod alibi non semel admonui, ad eos me nunc verba facere, qui vasa Ægyptiorum aurea & argentea rogauerunt vtenda, quæ nunquam restituerent. iccircoque idonei sunt qui mysticæ sapientiæ ac transmarine iam discipuli fiant: quales fortasse sunt, qui in Socratico sinu (vt idem inquit Persius) elementa philosophiæ edocti sunt, quorum studia non paruis tantum (vt dicitur apud Græcos) sed magnis etiam mysteriis matura sunt aut adulta. ad quos gentilis ille supradictus sapientiæ, idem philosophiæ cælipetæ mystagogus, ita inquit, Vir qui errauerit in via doctrinæ, in cœtu gigantum demorabitur. vel vt apud Græcos legitur, Vir qui aberrauerit à via iustitiæ, in conuentu gigantum requiescet. Gigantum populus homines sunt terrigenæ, inficiatores prouidentie, atque immortalitatis animæ, & contemptores diuinitatis. Quam ob causam à poëtis quondam dicti sunt Deos è cœlo deiicere voluisse. Homines vasto corpore, immani ventre, nullo penè pectore: quorum pedes in draconum

volumina desinere proditum est: quod significat nihil illos: supernum & cæleste, nihil cogitare diuinum: perpetuum verò eorum vitæ processum humi repere, ad inferosque vergere, vt scripsit Macrobius. Omnino terræ filii, nulla cælū necessitudine, nulla contingentes superos affinitate, nullum cum Deo commercium habentes. materiariæ (vt ita dicam) & carnariæ animæ, cum terræque prorsus concretæ. quales sunt plærumque homines adipe rerum secundarum obesi, ingenii interdum multum, mentis & spiritus non perinde habentes. Quorum genus aut generis indolem, penitus & radicitus post apertum cælum & Dei cōuersationem inter mortales, non periisse, mirum est. Tales etiam sunt illi, quos diuus ille Paulus, diuersorium numinis paracleti cælestium rerum indicis, progeniem appellat apithiæ, homines corneis præcordiorum fibris, nullam in Deo fiduciam habentes: nec ab eo metuendum esse quicquam censentes, non magis quàm ab Erebo, diri illius erroris & detestandi, atque ignorationis Dei vesanæ, parente & auctore. Nobis autem adhuc in doctrina verbi Dei pueris, qui discendi rudimenta in cunabulis posuimus profanæ philosophiæ, quibus in ipsis tamen terrestribus, animus tamen alitur & vegetatur, ad beatæ vitæ cupiditatem atque æternæ, aliud consilium capiendum esse censeo. Nam sapientiæ Græcorum magisterium, regendi principatus animi prouinciam obtinere imperio consulari & censorio potest: non item dictatorio, quod maiorum est auspiciorum, numinéque præditorum paracletico. Quocirca strenuissimo cuique philotheoriæ studio, quæ beatitudinem illam pollicetur æternam, hoc omni animi contentione faciendum est, in orthodoxiæ vt portum recta via, à maiorum (vt dicitur) gentium Philotheoris inita atque munita, sese conferat, omnibus cum suis animæ facultatibus. vt qui meminisse debeat, lustrico se natali, atque initiali die, & verò in lucis veræ vitæque tyrocinio, ex Ægypto migrasse, tuncque Christigenā & cælitum affinem, è terrigena factum. Huius philosophiæ summa, quanquam copiosam, variam, amœnam commentationem habet, atque admirabilem: quanuis omnium studiorum atque scientiarum claritatem suo splendore dubio pròcul obscuret: tamen in crucis contemplatione, in Christi que in eam sublatis theurgia atque œconomia, cum animaduertenda, tum animo comprehendenda complectendæque vertitur, qui cardo est Christianismi, quod firmamentum religionis, quod columen pietatis, quod decus polytheiæ fusæ, fugatæ, prostratæ, è mundoque explosæ. denique quod im-

mortalitatis pignus est, quæ fiducia, quæ fides, humani generis transcriptionis in numeros cælitum, primanos, secundanos, & tertianos. Ab eoque velut fonte ac capite salutaris sapientiæ, omnis ratio philosophandi in theoria manat, indeque à nobis arcessanda est. eò etiã semper reuoluenda speculatio, siquando, aut si tantulũ aqua theosophiæ, eiúsque theorematum hæserit in obice quopiam obiacente, ut est mentis humanæ instabilitas. Hæc illa est, illa (inquam) est victima, quam in crucem sublatam ab hominibus ingratis atque impiis, diuinitatis vnitas, ternario distincta personarum, piacularem hostiam esse ac salutarem mundo voluit. si quidem hanc pro palladio in primordiis rerum amisso, pro numine læso, effigiem statuere, nefas quæ triste piaret: nefas (inquam) contempti interdicti diuini ut expiaret, commissæque multæ æternæ & calamitosissimæ dispendium sarciret. Hoc illud est arcanum, quod ab æterno soli naturæ diuinæ notum fuit: cæteris omnibus absconditum à mundi tyrocinio, superis iuxta atque inferis, quod Paulus idem ad Colossenses scripsit. solisque sanctis Dei locuples œconomia eiusdẽ mysterii, in Christo semper abdita, innotuit quondã inter gentes & nationes, iúsque demũ quas Deus aperire quod conditũ erat, voluit. Hic ego centenas ausim deposcere mentes, ad commentationẽ vnus huius loci, cum mihi animo obuersatur tantæ rei imago: cum mihi in mentem venit, non dico mundi quædam insignis aut temporum inclinatio ad res novas edendas, sed rerum humanarum summæ, stupenda & inaudita inenarrabilisque conuersio, quæ ad tristis illius multæ capitalisque antiquationem incubuit, humanique generis selectorum inter diuos & superos adlectionem. cum æterna prouidentia in gratiam natura cum humana redeunte, noxa & offensio in gratiam verterunt atque benignitatem. cum pater ille cælestis, filium suum minorem, a sotum & erronem, familia quondam abdicatum, longo pòst interuallo, rursus in familiam fremente maiore filio inuidentèque asciuit: ex patruoque pater, ex Demea Mitio factus, gratuita indulgentia supplicem festiuâque excepit. cum mundi liberator, & sociam ciuitatem, & stipendiarias omnes prouincias, eodem iure immunitatis esse voluit: nouarumque tabularum legem in vniuersum tulit aduersus Orci nexus atque calendaria. denique cum Deus homo natus, homines commercio cæli vicissim, diuinitatisque communione donauit. Quo ipso in miraculo, illud alterum extitit miraculum, quod tãta, tam admirabilis, naturæque nouatrix, orbis rerum cõuersio, surda & cæca fuit, paucissimisque mortalium

vel visa vel exaudita, utpote mundo res alias aliásque agente. Peperit enim in loco obscuro salutem homini prouidentia, pusillísque in cunabulis eduxit: quam in vtero æternitatis à principio parturierat. tum noctis cõtincinio & in brumæ tenebris, natus est Diphyes ille Cecrops, solque è cælo & terra diuina manu coagmentatus: qui breui orbem terrarum nominis sui claritate impleuit, numinísque maiestate. O rem mentium excelsarum capacissimam, & retinentissimam. Hic cum vestigia quidem sui impressissima per totum orbem terrarum, monumentaque reliquerit illustrissima: hominum tamen inertia capitali, stuporéque damnosissimo, eadem ipsa fugere vestigia exolescereque cœperunt, & simul monumentorum auctoritas quanlibet consecrata, sensim obsolescere. & cum cæli quidem motus ad mortis eius miraculum obtorpuerit, sol splendoris defectu laborauerit: durum tamen animantium genus homines, saxúmque, hoc non quiuerunt persentiscere. Videlicet hæc illa est labes naturæ deprauatæ. animique humani, nisi assiduè exercean-tur harû rerum meditationibus: noxam citò contrahunt obliuionis atque torporis. Hæc (inquam) est solertia scelerata Autolyçi tartarei, animarum subleçtoris: quem mirè Homerus *ἐπὶ τῷ ἡεροφῶντι* vocauit, quasi furiam æriuagam, & grassatorem tenebricosum, mortali-um semper capitibus incubantem, ut eis incommoditet. cuius subautolycus est (ut ita loquar) is qui à Christo mundus dictus est. Protheus quidam inauspicatus iis qui in regno Dei vitam agunt, omnia transformans se in miracula rerum, circulatoriæque vanitate hominum mentes auertens à rerum supradictarum animaduersione. Hic igitur velut scopus, salutis indagatrici philosophiæ propositus sit: eò omnis animus contentus ad commentandum, incumbat: ab eo digitû transuersum ne aberret mens philosophi. Hęc enim est ara misericordiæ dicata, ad quam perfugium certissimum supplicibus patet rerum capitalium reis. Hoc altare edito loco, & vndique aspectabili visendóque erectum: in quo pater optimus, maximus, Isaacum suum dilectissimum, primigenium eundem & vnigenium, sacrificatum voluit. Cui filio numeris omnibus paterni splendoris, diuinæque maiestatis prædito, patrimonium amplissimum dominatus gentium ac nationum omnium, pater, omniumque omnino rerum dispensationem superarum & inferarum, dederat: eaque cum libera, cum sibi æquali potestate, cum patri & eodem secum imperio dederat. Hoc (inquam) ipso in altari, Deus filium suum Christum, mactandum sacerdotibus dedit, ad

mortalitatis pignus est, quæ fiducia, quæ fides, humani generis transcriptionis in numeros cælitum, primanos, secundanos, & tertianos. Ab eoque velut fonte ac capite salutaris sapientiæ, omnis ratio philosophandi in theoria manat, indeque à nobis arcessanda est. eò etiã semper reuoluenda speculatio, siquando, aut si tantulũ aqua theosophiæ, eiusque theorematum hæserit in obice quopiam obiacere, ut est mentis humanæ instabilitas. Hæc illa est, illa (inquam) est victima, quam in crucem sublatam ab hominibus ingratis atque impiis, diuinitatis vnitas, ternario distincta personarum, piacularem hostiam esse ac salutarem mundo voluit. si quidem hanc pro palladio in primordiis rerum amisso, pro numine læso, effigiem statuere, nefas quæ triste piaret: nefas (inquam) contempti interdicti diuini ut expiaret, commissæque multæ æternæ & calamitosissimæ dispendium sarciret. Hoc illud est arcanum, quod ab æterno soli naturæ diuinæ notum fuit: cæteris omnibus absconditum à mundi tyrocinio, superis iuxta atque inferis, quod Paulus idem ad Colossenses scripsit. solisque sanctis Dei locuples œconomia eiusdẽ mysterii, in Christo semper abdita, innotuit quondã inter gentes & nationes, iis-que demũ quas Deus aperire quod conditũ erat, voluit. Hic ego centenas ausim deposcere mentes, ad commentationẽ vnus huius loci, cum mihi animo obuersatur tantæ rei imago: cum mihi in mentem venit, non dico mundi quædam insignis aut temporum inclinatio ad res novas edendas, sed rerum humanarum summæ, stupenda & inaudita inenarrabilisque conuersio, quæ ad tristis illius multæ capitalisque antiquationem incubuit, humanique generis selectorum inter diuos & superos adlectionem. cum æterna prouidentia in gratiam natura cum humana redeunte, noxa & offensio in gratiam verterunt atque benignitatem. cum pater ille cælestis, filium suum minorem, aotum & erronem, familia quondam abdicatum, longo post interuallo, rursus in familiam fremente maiore filio inuidentique asciuit: ex patruoque pater, ex Demea Mitio factus, gratuita indulgentia supplicem festiuâque excepit. cum mundi liberator, & sociam ciuitatem, & stipendiarias omnes prouincias, eodem iure immunitatis esse voluit: nouarumque tabularum legem in vniuersum tulit aduersus Orci nexus atque calendaria. denique cum Deus homo natus, homines commercio cæli vicissim, diuinitatisque communione donauit. Quo ipso in miraculo, illud alterum extitit miraculum, quod tãta, tam admirabilis, naturæque nouatrix, orbis rerum cõuersio, surda & cæca fuit, paucissimisque mortalium

vel visa vel exaudita, vtpote mundo res alias aliásque agente. Peperit enim in loco obscuro salutem homini prouidentia, pusillísque in cunabulis eduxit: quam in vtero æternitatis à principio parturierat. tum noctis cõtincinio & in brumæ tenebris, natus est Diphyes ille Cecrops, solque è cælo & terra diuina manu coagmentatus: qui breui orbem terrarum nominis sui claritate impleuit, numinísque maiestate. O rem mentium excelsarum capacissimam, & retinentissimam. Hic cum vestigia quidem sui impressissima per totum orbem terrarum, monumentaque reliquerit illustrissima: hominum tamen inertia capitali, stuporéque damnosissimo, eadem ipsa fugere vestigia exolefcereque cœperunt, & simul monumentorum auctoritas quanlibet consecrata, sensim obsolescere. & cum cæli quidem motus ad mortis eius miraculum obtorpuerit, sol splendoris defectu laborauerit: durum tamen animantium genus homines, saxúmque, hoc non quiuerunt persentiscere. Videlicet hæc illa est labes naturæ deprauatæ. animique humani, nisi assiduè exerceantur harũ rerum meditationibus: noxam citò contrahunt obliuionis atque torporis. Hæc (inquam) est solertia scelerata Autolyçi tartarei, animarum subleçtoris: quem mirè Homerus *ἐρινὺν ἡγεροφῶτιν* vocauit, quasi furiam æriuagam, & grassatorem tenebricosum, mortaliū semper capitibus incubantem, vt eis incommoditet. cuius subautolycus est (vt ita loquar) is qui à Christo mundus dictus est. Protheus quidam inauspicatus iis qui in regno Dei vitam agunt, omnia transformans se in miracula rerum, circulatoriaque vanitate hominum mentes auertens à rerum supradictarum animaduersione. Hic igitur velut scopus, salutis indagatrici philosophiæ propositus sit: eò omnis animus contentus ad commentandum, incumbat: ab eo digitũ transuersum ne aberret mens philosophi. Hęc enim est ara misericordiæ dicata, ad quam perfugium certissimum supplicibus patet rerum capitalium reis. Hoc altare edito loco, & vndique aspectabili visendóque erectum: in quo pater optimus, maximus, Isaacum suum dilectissimum, primigenium eundem & vnigenium, sacrificatum voluit. Cui filio numeris omnibus paterni splendoris, diuinæque maiestatis prædito, patrimonium amplissimum dominatus gentium ac nationum omnium, pater, omniumque omnino rerum dispensationem superarum & inferarum, dederat: eaque cum libera, cum sibi æquali potestate, cum patri & eodem secum imperio dederat. Hoc (inquam) ipso in altari, Deus filium suum Christum, mactandum sacerdotibus dedit, ad

cædem cum exposcentibus: sæuitiæque & liuori paucorum victimâ tradidit succidaneam atque piacularem pro innumera mortalium multitudine, ex Erebi nexu, è vinculisque eximenda reatus primordialis, & porrò inter diuos superosque adoptanda: tanta (inquâ) pro multitudine dilectissimum filium dedit, in quo filio intuendo & æstimando patria maiestas suauiter acquiescebat, atque pro eiusmodi multitudine, quæ stellas cœli numero æquare posset, earumque decori minimè splendorique cederet. Ante id tempus autem, mundus ab ornatu vtraque lingua dictus, nihil tam fuisse videri potest, quàm carcer tyrannorum principis, in quo carcere non tam homines quàm Orci custodiæ, à caluo (vt dicitur) ad caluum inter reos relatæ, erroribus variis sceleribusque victæ asseruabâtur: affectibus etiam nefariis, bellis & discordiis exagitata interim, & vapulantes. indèque ad vltimum vitæ spiritum eductæ, per sceleratum vicum, nefastamque portam & Charoniam, *τὴν ἐν τῷ Στάγῳ*, vt Græci dicunt, abducebantur in perpetuum. à qua sorte sæcula nostra exempta, nec grata memoria id beneficium prosequentia, quæ tandè animaduersio Dei, quæ conditio maneat, ominari vereor. Proinde iure optimo atque meritissimo à nobis Deus poscit, non iam vt cruentis sacrificiis filio suo litemus: etsi patri æquali, pari, æquè pollenti: tamè in crucem actò sua sponte salutis hominū ergò. Non vt paria serui, quatenus fieri potest, cum domino facere aggrediamur: non vices vt beneuolentiæ aut pares aut similes (quod fieri nō potest) ipsi exhibeamus: exigit id quod tamè heroica manus quondam, & numerosissima militum purpuratorū, quoad eius fieri potuit, fecit: volonūque lectissimorum, in aciem illa quidem strenuè & fortiter, sed auspiciis Seruatoris instructa, aduersus mundi principem, & contra eius copias immanes & efferatissimas. Cæterum voluntatem vt nostram eidem hero nostro atque domino, liberum vt arbitrium, quale illud quantumque habemus cunque, vel quantum si mauis, eidem vt maitemus: id verò ille poscit, cū iubere, cū imperare, cū cogere iure suo, eodémque optimo, ipse si velit possit. Simul vetustum vt hunc hominem nostrum, victum, vternosam, sordentem, illotum, & squallentem, in familia denique & comitatu cælestis domini obsoletum: ad aram iugulemus eandem, in qua ipse Dominus pro nobis occubuit: in cuius humerum pater æternus, superiorum inferiorumque & vniuersi imperium summum principatūque cū cruce imposuit. Hoc autem vnū ad verum naturam æstimantibus, nostri est vtcunque mancipii, cū reliqua

sint omnia tantum in peculio. Verum, hoc modo cum sciamus Deum nobiscum agere, Deum (inquam) immortalem cum mortalibus, patrem cum liberis, dominum cum servis, quorum vitæ & necis liberam habet, omniumque dierum atque horarum potestatem: ac ne id quidem modò, sed opificem ipsum cum operibus norimus, & Prometheum cum figmentis suis, cum friuolis, cum vasculis agere luteis: quæ confringere, quæ conterere, quæ in ignem abiicere temporis momento potest, simulac sibimet ipsis videt illa, dominoque ipsi esse inutilia: Hæc igitur & alia eiusdem modi, cum comperta sint omnibus & inculcata, cum aliàs, tum verò ipsius Dei notione, nulli non natura anticipata: nos tamen tam profligata ac deplorata ratione vivimus ad beatam vitam quærendam & consequendam, ad aram ut clementiæ ipsius & misericordiæ, ne hoc quidem quasi thusculo saltem, liberalius sacrificare sustineamus, ipsi acceptissimo. Nam quid aliud est obsecro, corpoream voluptatem, quærendi & fruendi honorum bonorumque cupiditatem, vlciscendi libidinem improbam, denique Cerberi trisauis tumidam ingluuiem, enecare & iugulare ad pedes in crucem acti Iesu Christi: quàm thusculo litare Seruatori hominum, exiguo quidem illo, sed odoratissimo, nidorisque ad cælum pertinentis? Quod si cupiditates vitiorum omnium errorumque parentes, exanimare penitus, elideréque earum reliquias nequimus, è terreno corpore, è solo (ut sic dicam) tribuloso, naturæ sponte scatentes: gladio tamen verbi Dei sanctiore de philosophia rogato & accepto, ita sauciare eas possumus & concidere, ut exuccæ iam & languidæ deinde esse videantur. Hæc atque alia animorum venena, cum prudentia ciuili parum animaduerrere solita sit, aut animaduersa sus deque (ut olim loquebantur) habere: nec verò cauenda & auersanda ducere: philosophiæ est utique germanæ veracis & cœlipetæ, id videre. quippe mortis & crucis commentatrix est ipsa, tamque immortalitatis cupida, quàm prudentia illa communis, rerum est intereuntium nugarumque auida & studiosa: quo nomine eam philomoriam appellare verissimè possumus, ut è diametro oppositam philosophiæ. Ad eam igitur cogitationem sese accingat oportet Christigenarum philosophia, quàm fieri potest maximè: quandoquidem ab aliis ipsa curis feriata est, nihil ad rem qua de re in primis agendum est pertinentibus. Quodnam autem alioqui dignum erit operæpretium disciplinæ orbicularis, quàm encyclopædiam Græci vocant, per tot annos ætatis decursæ florentissimæ: si senectuti fortasse amœnum præbitura est, animi tantum

causa, non etiam animæ diuersorium? nec veteres eadem opera (vt inquit ille) auias mihi de pulmone reuellet? Atqui nulli erit vsui memorabili, nisi gradum nobis factura est ad studia altiora, sanctiora atque salubriora. Nisi verò nō à ligno scientiæ, noxiæ causa primordialis manauit: cui lignum illud vitæ idemque sapientiæ, remedium attulit expiabile. Neque verò satis est hominis studiosi & eruditi subactum esse ingeniū (vt Ciceronis verbo loquar) & iteratum, parum est etiam excultum & nitidum esse aruum animi. Nam nisi eam culturam sementis opportuna probaque exceperit, nulla inde fruges existet, quæ quidem culturæ responsura sit. vnde igitur & quò tanti laboris messis? Semen verò sapientia prolixè suppeditabit homini, in eade pietatis fideique philosophanti. & ipse sibi porrò philosophus è granariis duobus scripturæ admetietur, quæ vnicuique pulsanti, ac modulis suis poscenti, apetiri paulatim solent: idque pro soli bonitate & culturæ industria, restibili fœcunditate prouenit, ampliùsque centuplicatò reddit. Eadem etiam philosophia index thesaurorum sapientiæ, puteos animantis aquæ, à priscis puteariis ipsius sapientiæ demonstrabit effossos, de quibus rigabit agri cultor huiusmodi, ea quæ videbuntur neglecta exaruisse. Pretiū autem erit opere, cum inter hauriendū nectareā aquam, laborēque studii theoricæ exhauriendum, bibere ex ea licuerit nullo sensu laboris, & cum ingenti desiderio, inexplibili quidem illo fortasse, cæterum huiusmodi, haustus vt quisque, quātus vnicuique plenissimus esse potest, ad stomachū hominis pro portione faciat. Summa verò est comitas illa sapientiæ, incredibilisque benignitas, quòd omnibus bona fide ab ipsa poscentibus, atque eam per ipsam fidem obsecrantibus, ducere largè & assidue licet. & porrò priuatim non cisternam modò sibi lacumque compluuiū, sed puteū viuum fodere: ex eoque inter commentandum magna cum suauitate iugem aquam auferre, pro moduli cuiusque capacitate. nihil etiam singulos vetat, eorum quidem certè quibus cum nunc ipse verba facio, & aquilegem sibi bimet ipsi, & putearium esse, ad nutritionem mentis & interioris hominis. At hoc quid voueat dulci nutricula maius alumno? Quid homini (inquam) studiosissimo literarum antiquarum, atque vendibilium, magis est exoptandum, quàm in huiusmodi philosophiæ contubernio, emeritæ saltem senectutis annos aliquot exigere, nec inerteis nec effœtos? Mihi certè philologia, quam iam annos fermè quadraginta amare primū institi, curriculumque ipsam honestarum disciplinarum quoquo modo decursum, cos quædam

esse videtur aptanda gladio verbi Domini, ad aciem ingenii exacuendam, ad significationes percipiendas mysticæ theologiæ, troporumque eius symbolicorum. Quare nobis videndum est ut censeo maximoperè, ne ad Lotophagorum littora adhærescentibus ad horam vndecimam, sæpius frustra animi iam sibi moræ conscii immodicæ, ingemiscendo dicant, Quid stetimus hîc tandiu ociosi? Quin à persuasibilibus disciplinis tandem, ad certam illam doctrinam, ac suapte fide nixam migramus philosophiam? *ἄλλος δὲ υἱὸς* ætati iam vergenti. ex illa encyclopædiæ sylva nihil præter glandem legitur. ad Cereale studium transeundum, quo ager Domini consitus est. Verùm (ut alibi diximus) huius philosophiæ caput est, cum Paulo sæpe dicto, principe eiusdem & antistite, in primis hoc profiteri, nos scire Iesum Christum, & scire in crucem actum: idque salutis mortalium gratia, atque immortalitatis. ad quem veluti scopulum, hominum æternæ vitæ rationem prædicationemque respuentium, arietina quidem Iudæorum pertinacia, hætenus in vniuersum offensa est inexpiabiliter. Gentilis verò philosophia, eadem aut simili offensione in pseudosophiam tandem est versa, quæ reuera semper oxymoria fuerat. Hanc porrò effigiem circumferre semper eum & quocunque oportet, qui rectè & commodè philosophari cupit, in sinu cordis conditam: non leuiter ipsam (qualem vulgus hominum solet) deliniatam, sed sculptam, sed incisam, sed indelebili memoria intus penitusque inustam. Nec verò eam modò in secessu & in solitudine: sed vel mediam per Ægyptum, per Babylonem perferre, palàmque & prædicabiliter, siquando negotium sit nobis cum Ægyptiis atque Babylonis. Licet enim & Babylone Hebræum esse, ut inquit Ambrosius in libro de anima. Hæc est autem virga, qua in Ægypto Moses quondam memoranda edidit, claræque facinora theurgiæ. quæ in terram proiecta, in serpentemque versa symbolum sapientiæ, cunctos Ægypti serpentes sapientesque deuorauit, cum sua sapientia humi semper reptante. Quo intelligi potest maximè, quantum sit numinis, cuiusmodique, in hac philosophia. Digna igitur est ærumna circumferendæ crucis, homine philosopho, quàmque orthodoxiæ discipulus humeris suis iniunctam cupiat, & gaudeat: quando Herculem indecorum est sine claua conspici. In hac etiam ipsa sita est, & verò clavis fixa trabalibus (ut dicitur) atque adamantinis, auctoritas fidelsque Christianismi. In hac confixa est scelestissima principis mundi arrogantia, qui generis humani à Deo ac veritate auersi, imperium sibi vendicauerat,

diro ac detestando errore mortalium. Quapropter, qui ad philosophiam istam resipiscentiæ magistram sese applicare statuerunt, quod omnibus necesse est cælipetarum viam capeissentibus: ad stauraphoriam ii pariter semetipsos oportet vt comparent: quæ pars philosophiæ, ab eodẽ illo ipso auctore rerum cælestium sæpe dicto, instituta est & demonstrata. Nam cùm omnes Christi actiones sint admodum admirabiles, cùm omnia eius opera diuinitatem suspi- ciendam præferant, ea tamen quæ per crucem acta sunt atque ad- ministrata, omnium sunt admirabilissima, vt inquit Damascenus. In hac maiestas Christianismi, eiúsque placitorum vertitur. in hac summa theurgiæ atque œconomiæ Christi, quasi in capite, in car- dine, in firmamento rectæ philosophiæ, vt posita, sic quærenda est. Hoc denique velut cornucopiæ habeto philotheorus, salutis inda- gator, cælestis viæ confectator, in vita peregrinus: hoc (inquam) Amalthææ cornu locuples in sinu interiore teneto, ex quo viaticum animi contemplatoris largè & copiose promptitet. Hoc eodem in palo, cippoque adeò illustrissimo, medio mundi loco, ob idque vi- fendo & monstrabili erecto, chirographum illud vetus, graue, fœ- neratitium, longissimique temporis interuallis indies ingrauescens, nedum indelebile, cum seruatore ipso confixum est: vt inductum ab eo & circumscriptum, ad nummumque vltimum dissolutum, at- que eo amplius. Cuius chirographi nexu mortalitas vniuersim si- gillatimque, Stygio fœneratori auctorata fuit tandiu, atque in eius ergastulis durissima conditione dirisimaque vincta, nullo sensu (quod mirum est, an miserum potius?) calamitatis suæ: in caligi- ne densissima mersa ignorationis Dei, & summi boni, ac veritatis. Id tale tantumque beneficium, humana oratione nequaquam enar- rabile, cruci Christoque acceptum referri debet vni, recordatione perenni, assidua, & accurata. quippe qui pro nobis tantum æris a- lienì dependerit, à maioribus nostris contracti iam inde à primis vitæ incunabulis. Quorum omnis posteritas iure quodam succes- sorio & erratico, deinceps ad eum diem, malorum tantum (vt cla- rum est) possessionem, non etiam bonorum agnouerat. Cruci igitur affixus, constituto debiti grandis atque piacularis, in præteritum, in instans, in futurumque factò, & sortem ipse & vsuras pro vni- uersitate dependit: sicque ergastula iam verusta emisit, iussa esse li- bera: quæ quidem certè salutarì stigmatè, notaque prouidentia, in- iusta reperta sunt. Postremò hoc teneamus vt enunciatum quoddã ratum orthodoxiæ, qui inter euocatos Christi cēseri, qui in numeros

illos æternos referri, qui delectarum copiarum, quæ supernis exercitiis in supplementum aggregandæ sunt, numerum augere concupierint: id quod nemini non precamur, ut expetendum in primis, cui optimè consultum ipsi volumus, nobismet etiam ipsis ominari gaudemus. Quibus hæc (inquam) in mentem instinctu Dei venerint, iis omnibus illud gestamen Christianismi, & velut labantis animi scipionem, aut fidei concussæ & languentis adminiculū, suscipiendum esse, ad finemque vitæ constanter perferendum. Siquidem absque eo adiumento surgere iacentes animi, & stare recti nequeunt. Quis autem Christianorum hominum vel immortalitatis inconsiderantissimus in vita, non in morte crucē ipsam cum Christo significato, eius numine & ornamento, adorandam esse censet & amplectendam, ut baculum quoddam alexicacum? Quis funeri suo crucifixum præferri non precatur? Quis inter vltima mandata hæredibus non imperat? nisi fortè simulacrorum inimici, stauromastiges quoque esse sustinent. omnes enim sanæ mētis meritò tanquam tesseram cælestis hospitii, crucem Christi aut eius omen, secum auferre hinc emigrantes cupiunt. Hoc denique sublato gestamine, signum dat nobis è littoris specula in mari euagentibus, theorica philosophia. Quocirca cum crucem Domini supplicum velamen esse nouerimus, & misericordiæ pignus: & in misericordia vnā quidem, cæterum certam nobis spem salutis compertamque esse positam: quid causæ est, quin planè futilis atque nugatoria sit prudentia civilis, tametsi honori habita inter eos, ut commoda, qui boni grauesque viri existimantur? Quidni enim bellam istam sapientiam hominum, nugas esse censeamus, si quidem Christigenam sese ingēti contentione asserit, & cælipetam: nectamē Christum quærit sequiturque Seruatorem? Nisi verò Iesum Christum quærere est, Christū iam triumphantem quærere, Christum prouincia iam confecta, comitatu laureato insignem, in cælumque ouantem immortali cum exercitu innumerabilique ingredientem, cupere. à nobis enim huiuscemodi Christus sperandus est ille quidem, & exorandus: sed ita demum si Christum ipsum quæsierimus in cruce fixum atque cupierimus, cum quo nos cruci nunc affixos esse omnino necesse est, & staurophoros eius, quasi que calones esse, si cū ipso quidem certè nos à morte ac per ipsum excitatos volumus & cupimus. Multos porrò christos fuisse nos legimus, & Iesus etiā plures: sed vnū tantum cruci affixū, qui Seruator, qui liberator, qui assertor & vindex est hominum. Age, si buccinæ veritatis, spiritu cælestis sapientiæ

plenæ, hæc quondam cecinerunt, quos prophetas sacrosancta scripta vocant: si sermo Dei salutis promulgator, hoc palàm contestatus est: si Paulus accensus (vt ita dicam) cælestis dictaturæ, id verbis conceptis posteritati prodidit, in crucifixoque summam expectationis suæ posuit: si vades ipsius cruci affixi: si tot testes nō fortuiti, non rogati, sed diuinitus oblati, hoc fortunis & pignoribus suis, hoc capite cauerunt: cur omen staurophoriæ vsque ad eò reiicimus & auersamur, vt inimicis id nostris capitalibus, vt hostibus imprecemur: à nobis autem, à charis pignoribus, ab amicis id nostris abominando amoliamur? Ecquis est autem mortalium sanæ mentis, qui cùm hæc apud se existens, maturè & perpensè considerarit, non extemplo ab hilaribus (vt aiunt) ad cineralia transiturus sit? Profectò si doctrinam euangelii, cum Pauli epistolis, qui veluti codicilli sunt additi testamento ipsius, animaduertere velimus: necesse erit vt fateamur, satyram hanc esse quandam sapientiæ delapsam è cælo, ac destinatam ad reprehensionem humanæ prudentiæ: acerbam quidem illam satyram primore sensu, & tanquam aduersus contumaciam nostram, monita sapientiæ obaudienter excipientem, strictam illam frameam verbi Dei vibrantem: cæterum aures hominum summissè libentèrque euangelio auscultantium, mirè patefacientem symbolicæ sapientiæ. verum ad præcordia eorum ipsa demum penitus insinuat, quos Dei prouidentia spiritus sacrosancti appulsu pignerata est. Nunc autem vt mores ad stultitiam, ad vanitatem, ad nugas, ad incuriam denique, contemptionemque æternitatis, vergere iam cœperunt: sic breue curriculum vitæ nos peragimus (quibus quidem cōsenescere contigit, quæ minima pars est hominum) quasi inter aleam quandam ancipitem finium constituti, bonorum & malorum: ob idque nō magnopere de exitu casuue laborantes. Etenim tanta in securitate fururæ vitæ meri sumus, tãtâque incuria præditi an perdiri? vt multi his de rebus sermocinantes, sortiri quid dicant ac censeant (vt est in prouerbio) videantur potius, quàm ratione pendere & æstimare. Cæcum vitæ propositum (superi immortales) diramque amentiam. Scilicet improba Siren illa desidia, secordiæque somniculosa, nos oppressit in tumultu, in naufragio, in incendio gliscente, in tanto discrimine. Tum spes & opinio longiusculæ vitæ, diem ex die ducit, & resipiscientiam plerique differimus in id tempus, quod resipiscendi spatium non admittit. Fati enim supremi aduentus inopinatus, mentem apud sese esse non sinit, sibi que consulere attentius, vtpote tumultuariam manum Atropi, eandemque inde-

precabilem iniiciens. Nam iuventus aut firma valetudo, cùm semel vnicuique mortalium, caniciem feram & longos promiserit annos: cunctationi protinus homines sese dedunt & procrastinationi. quã deinde incuria sequitur & obliuio vitæ ad decessionem expediendæ, rationumque subducendarum neglectio, ad impetrandum ius illud ciuitatis superne & æternæ. Ad hoc proprium munus est huius philosophiæ quam sectandam esse ducimus, non illius hallucinatoricis, quæ veluti planus gentium ætatumque profanarum, verba Græciæ & Barbariæ dedit. Verùm illæ duæ ad sese redeundi remoræ, longè, latèque in vitæ celebritate grassantur, quasi agminibus illis lucifugis cæloque extorri multitudini subseruientes, multosque vbiq; gentium circumscribentes, quã iuuenes, quã senes, quã valentes, quã languidos & semineces. Quo clarius intelligere possumus, non de nihilo illud esse, quod excubare nos Dominus & peruiigiles esse, sermocinationibus suis admonet sententiosissimis, mortisque subitum vadimonium, & furis nocturni aduentum, providere nec opinatum. Qui etiam olim prouinciam suam obiens, primum illud edictum ore proprio ac propalâ pronuncian dum censuit, Resipiscite, appropinquauit enim regnum cælorum. nimirum ipse legem incoerentis ob secus admissa conscientia, auctoritate sua sanciens: quam prænuncius eius, victimaque præcidanea antea promulgauerat. Id verò satis significat sapientiam humanam & mortalem, cum diuina & immortali plenam habere discrepantiã, ex edictoquo illo suo Christum, ius vnicuique prouincialium tandè esse dicturum. Proinde cùm rerum diuinarum æternarumque enthei pronunciatores, præscita sua prædictaque reliquerint vitæ, cõscripta luculenter & consignata: cùm Deus ipse Christus superum iuxta inferumque potens, pœnas præmiisque ore veritatis atque sapientiæ pronunciarit: omnem nobis ansam vtique prolatandę resipiscentiæ, procrastinandique studii philosophiæ propriæ dictæ, præcidit. In biuio igitur vitæ peregrinantis fac duos esse cippos: alterum euangelii doctrina, alterum anteuangelii incisum vel inscriptum, qui sensus est communis magisterio mundi imbutus & institutus: inde autem vias duas à peregrinis iniri, alteram sursum versus spectantem, scanisimque ferentem peregrinos & viatores, asperam, angustam, pedestrem, ac raris diuerforiis: alteram in diuersum vergentem, pronam, planam, curulem & equestrem, tabernis multis diuersoriis distinctam, quibusdãque peramcœnis, tum instrumento vitæ vario, visendo, ac copioso instructis. Da etiam huic, si placet,

q. ij.

agendæ vitæ facilitatem non dubiam, commoditatēque conspicuam & luculentam. illinc fac è contrario omnia incommodis scantentia, curisque argentibus. Harum (opinor) duarum vitæ formarum rara in vita exempla sunt, propterea quòd ciuilis conuersatio, & alia quæcunque celebritate hominum constans, ex utroque genere temperata est illa quidem, atque permixta: cæterum maioribus minoribusque modulis, prout est id quod tulit ac statuit unicuique ratio prouidentiae. Hæc autem ab hominibus iccirco comprehendi non potest, quòd arcanas causas habet effectusque qui mortalium coniecturam fugiunt. Nemeseos enim numen unicuique suum ius suamque sortem tribuens, ut nomine ipso præ se fert, non ex humani sensus formulis ius reddit distributum, sed ut Lachesi illi cælesti visum est, dispensatrici prouidentiae. At verò hæc veluti libraria quædam cælestis, unicuique pensum suum vel parcè vel prolixè: tum operosum & molestum, tum facile & iucundum appendit. Temeritas autem casuum, & fortis fortunæ iniquitas, in rerum humanarum administrationem, bonorumque & malorum adimensionem, iure quodam obscurissimo conuiuentiae diuinæ irrumpentes atque patientiae: rationes conturbare videntur ipsius Nemeseos, summæque cum imis permiscere perplexissimè. Inde illa fors & fortuna, in cælum quondam hominum errore sublata: quæ tamen etiam hoc tempore, & summi actus rerum & infimi, eorumque confinis gubernacula tenere vulgò existimatur. Illa verò è cornu copiae mundi, è penûque factorum non modò pro potestate, sed etiam pro numine promere mortalibus, quibusdāque profundere non aliter atque olim, cum simulachrum eius pingebatur gubernaculum manu tenens cum copia, tanquam rerum ipsa regimen haberet in potestate. Quæ causa est ut in ciuili vitæ aulicæq; præcipuè rationibus, & acceptorum paginam & expensorum impleant non eius modò beneficia, sed etiam maleficia. æquè enim & bonorum & malorum dispensatrix vel dilargitrix potius esse dicitur, è dolisque illis Homericis fundere summa iniquitate. Huius esse creditur beneficentia, mundi penè monarchia sub Alexandro magno (quod mirari possimus) ab ethnarchia nata. Hæc memoria nostra quosdam, terræ quidem filios, sed è Pygmæorū gente, triduo aut triennio colossicos fecit, talisque trinoctio ut concepti è Ioue esse viderentur: quod de Hercule traditū est in fabulis. Itaque cum huius intemperiae ludibriis, perpetua & inextinguibilis est rationi dimicatio: cuius auxiliares copiae sunt spes bonorū æternorū

fides Dei promissorum, cum charitate Christi numeris omnibus absoluta, nec æmulam aliam admittente cupiditatem. Fortunæ autem auxilia sunt mundus iam sæpe dictus, caro, id est voluptas, & cupiditas. illa, in omne genus animantium imperiosissima domina: hæc, tantum in hominum. Iudice autem philosophia orthodoxiæ affini atque alumna, & cuncta & singula auspiciis reguntur providentiæ: etsi sæpe tum iniquitate mortalium, tum larium Stygiorum instinctu consilioque, negocia & facinora suscepta sunt & instituta. Neque verò in schola philosophiæ, fortuna rerum clauum tenens pingitur, aut fingitur: sed aleam potius manu mouens: quo ludo oblectari etiam ab antiquis dicta est, ut inquit Eustathius. Quapropter rerum euentis mortales rerum peritos, ultra modum permoueri, ægrefcereque vehementius non conuenit: sed illis tanquam actis quibusdam cælestium Parcarum, providentiæ utique diuinæ certo quodam modo arcanoque ancillantium, quoad eius facere possumus, acquiescere. Esto verò hoc animo hominis sapientiæ discipuli, præiudicatum in præteritum, in præsens, & in posterum, quicquid tempore & cæli conuersione fiat, factumve à mundi sit molitione, atque etiam ad usque conflagrationem eius futurum, nihil utique fieri, fore, factum esse, absque eius ipsius auspiciis, qui causarum omnis generis auctor iam inde ab initio fuit, & cæli vertiginis arbiter in perpetuum. Id quod attentius paulo sapiusque æstimatum, efficiet in rebus ut aduersis secundisque perinde sentire de amore diuino erga nos indulgentiæque debeamus. Ecquid autem est aliud patientiam rebus aduersis, & fortasse destinato Dei certoque consilio, accommodare, quàm paucorum annorum, an mensium, an dierum, molestiam deuorare? Sæpe verò œconomia ipsius providentiæ, cuidam quasi numini fortunæ ascribitur, ignoratione nostra, rationisque stupore. Flexuosa enim ratione hominum coniectura sæpe utitur: atque in multas erratiunculas digrediente, quæque erratio potius, quàm ratio dici debeat. Ac tametsi humanæ mentis Mercurius, id est ratiocinatio, quæ sæpe mendosa est, providentiæ consilia atque eorum causas, interpretari & explicare nequit: æquitas tamen animi tanquam arbitra quædam honoraria, ac iuris diuini consultior, controuersiam illam providentiæ ac fortunæ, in iudicio communis sensus omni memoria, in omni que genere, apud doctos agitatam: conuocato senatu sanctioris philosophiæ, dirimere semel atque in perpetuum: iudicareque secundum illam partem debet, quæ patrociniū cælestis sapientiæ meruit, & simul suffragiū beatæ multitudinis.

q. iij.

In iudicio enim rerum tantarum, ad summamque bonorum & malorum rectè pertinentium, simul ut Mercurius humanus hærere cœpit, ratioque torpere, ad cœlestem illum consulendum protinus Mercurium adeundum est. sermonem dico Dei, inter oracula receptum omnium quondam mortalium consensu, & piè consecratum, rerū cœlestium nobis diuinitus enarratorem datum: adhibita eodem & aduocata ratione ab eo condocesa, non etiam ab ista prudentia communi informata, quæ notiones nobis suggerit erraticas, atque à veritate deuias germanaque sapientia. Quis autem sanæ mentis homo, cunctetur ore, mente, pedibus in sententiam transire sapientiæ? atqui resipiscere, & antè actorum pœnitere, post errorem est intellectum in auctoritate esse velle sapientiæ, ut præstantioris & consultioris magistræ. Quare cùm aduentantis regni Dei prænuncius resipiscere nos iubet, nihil aliud quàm diuersam & auersam viam, ab instituta iure gentium vita, nobis ineundam esse docet: secundum quam vitam animus iure suo decedēs, qualique vir uxori rerum suarum regimine summo cedens, & principatu sese abdicans, sensibus temerariis habenas arbitrii fœdissimè permisit. Ita qui verè resipiscere instituit, quod plerique præ se ferūt, is viam, veritatē, & vitam sequatur necesse est: quæ vita ex animatibus homines spirituales efficit. mors est enim nō vita si scripturā audimus, Hellenismi sensus, consiliū mundi, & propositum. ut non mirum sit, quòd Christus regnum suum, à mundi tyrannide diremisit, non semel testatus est. Quo vel vno argumento liquere potest, quàm irritæ sint preces nostræ, qui identidem aduentum regni Dei exposcentes, Deumque votis nequicquam fatigantes in ea ipsa verba conceptis, interim quàm longissimè possumus, ab eo regno aberramus. Profectò labat fides, & conspicuè vibrat, etsi cōuelli non potest. & quod Plato in vniuersitate, analogiam esse voluit, id est *ἀεὶ μὲν τῷ παντί*, in Timæo, hoc idem est Christi charitas sponsalitia, in Ecclesia. quanquam id appositius esse censeo & commodius, quod è Philone Eusebius dixit, verbum Dei, mundi & naturæ vinculū esse, atque retinaculum: illud verò idem & fidei firmamentum est in vniuersitate Ecclesiæ, ut manifestè apparet. Fidem autem intelligi volo, non inertem, non cessatricem, non manibus confertis in securitate acquiescentem, ignauaque fiducia fretam destinatricis prouidentia: sed strenuam & actuosam, fœtāque æmula probaque charitate. Verum enimvero ut dicere cœperā, vita etsi varietates multas & mirabiles habet, *λοιδοὶ γὰρ τε πόθοι καὶ αἰνέονται εἰ διὸς οὐδὲι, δῶρων δὲ διὰ δίδωσι, κακῶν, ἕτεροι δὲ ἑάων,*

tamen plerunq; bona malis mixta:& versa vice, mala bonis tēperata sunt, duntaxat apud homines rectū iudicium habentes. Nemo certē adhuc inuentus, qui malorū expers fuerit, eodem teste poēta rerum humanarum prudentissimo, vt hisce ex versibus eius intelligimus, *ὅτι καὶ καμύλας Διὶ Ζεὺς τερπικέραυτος, Ἄλλοτε μὲν τε κακῶ ὄγε κέρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῶ.* & verò abundē atque indulgenter (inquit Plinius) à fortuna cum eo deciditur, qui iure dici non infelix potest. Sed fac esse vt illa via latē patens atque frequentissima, præ se ferat omnia homini cessura animi è sententia, ad implenda vitæ desideria: num in eo tandē viarum diuortio Hercules cōstitutus, non ille quidem Iunonis inclemētia, & glorię cupidine exagitatus, sed pietate Christianismi instinctus atq; imbutus: si ipsi optio permittatur, utrā malit inire viam, Paridis statim exemplo, Minerua contēpta, voluptatem præsentē secuturus sit? an Themidis supradictæ potius oraculum aditurus, ex cuiusq; responsis consilium agendæ peregrē vitę capturus, commodiorem vt in partem, id est ad salutem procliuiorem, summam rationū vitę cōferat? Equidem sic futurum opinor: neminēq; consultum verēque prudentem, facturum, præsentem vt bonorum copiam, vt theatricū fastum, vt viam denique cæcam & præcipitem eligat, præ via euangelica, ad cælūmq; ferente, præsertim aduersus quod ipse pepigit ac spondit die lustrico ac purifico. Quippe qui probē intelligat, illa bona bonis istis, cēlestia terrenis, vera imaginariis, æterna tēporariis, summa infimis, diuina fortuitis, continuari & cohærere nō posse cōtra fidem oraculorū. Proinde si Dominus de torrente in via bibit, & nos saltem in hac via mœrentis ob culpam pœnitentiæ, super agelaston petram sedentes acquiescamus. Nam quid aliud est homo euangelicę disciplinę retinens, nisi ille apud Terentium in sese suam ob culpam animaduertens, *ἐαὐτὸν τιμωρόμενος*, de semetipso Deo dans sua sponte supplicium? Quod qui facere pergunt, iis Dominus non veniam solū deprecantibus, sed etiam vltro grande pretiū operæ pollicitus est. At nos aut liberi sacris & Veneris operantes, aut promissa iuxta minasque Dei, vt Iunonis asseclæ, studiis cupiditatis ambitusq; posthabentes: momo tamen cēlesti litaturos nos speramus ad vltimum, nec de hoc magnopere interim angimur aut laboramus. Verū illa Saturno sata Iuno, vt virtutis inimica semper à priscis inducta est: virisq; fortibus cælum petentibus inuidens, vt inquit Augustinus in decimo de ciuitate Dei. Quę cū Hera à Græcis appellata sit, ancipiti vt videtur omine colitur deuotissimē ab hominibus seruitutem cupiditati, non Christo Seruatori seruientibus.

q. iiij.

eius etiam Heræ clientum, atque in fide patrocinióque positorum, longè plures inter heroes, quàm inter diuos relati commemorantur. Nempe quasi ἀεροβατῆντές τε, καὶ τοῖς νεφέλαις συνόντες, & cum dæmonum natione aëriuagi. Summa autem nostræ disputationis eò pertinet, ut intelligamus, virga Mosis iter per mare pandendum nobis esse, hoc est cælestis sapientiæ disciplina, scripturæque auctoritate: quæ virtutem Dei, summamque theurgiam totius admirandæ, in Christo cruci affixo sitam esse ac fuisse, nos docuit, atque in eius fide rata, in animóque fixa & persidēte, ad opera semper accincta, qua Christianismus constat. Hanc enim vnam arcem habemus: hoc præsidium religionis rectæ, cœlitúsque proditæ. Cuius auctoritatem & maiestatem, rituumque eius normalem disciplinam, si summi morum censores, maiorum vestigiis admoniti, sartam ac rectam per manus deinceps posteris tradidissent: longè melius utique, præclarius, & salubrius, cum genere humano tot iam sæculis actum esset. Sed illa est scilicet potestas principis tenebrarum, hominum ut singulorum mentes sine noxa, morésque vniuersorum, diu permanere non possint, nisi omnibus vngulis, omni ope cautionis diuinitus adminiculatæ, obuiam eatur illi. & natura comparatum est deprauata & vitriata, ut vita & mundus in peius sensim deteriusque veterascāt. Quam in partem iamiam vix erit multorum opinione, iamque est fortasse, ut incrementum dies afferre posse videatur. quippe ubi fas versum (inquiunt) atque nefas, tot bella per vrbes, eaque nefaria: tam multæ scelerum impiarumque opinionum facies, non ullus aratro dignus honos, cui nam? dicet aliquis. Nempe quo terra subigitur humana, ad fruges accipiēdas animis salutare, & refundendas vicissim. Proinde hominem philosophum hæc æstimantem, oportet & necesse est, cruce dominica humeris suis iniuncta, quasi quadam ærumna, Christum ipsum crucifixum, diui Pauli delicias, in sinu circumferre: tum Christianismi placita, fixa in corde suo, incisq; habere, literis Latinis & Græcis, ac si fieri potest etiam Hebraicis. hocque quod dicturus sum, ut enunciatur theosophiæ suapte auctoritate nixum fixumque, confertis manibus retinendum est. Qui lignum vitæ, idemque sanctæ disciplinæ, copiosæ, variæ, amœnæ ac mirabilis, interioris hominis dente non attigerit: qui in caudicem eius & stirpem iudicii morsum non impegit cum magna suauitate: ipsum nequaquam posse de puteo aquæ viuæ, atque etiam animantis homines iugis & perpetuæ, salubriter haurire. Quod qui facere supersederit, aliis studiis nimio opere deditus, is non philosophiæ

studio, sed aut philomoriæ (vt dictum est) aut pseudosophiæ teneri, fallacisque aut inanis simulachri scientiæ, ad extremum vt cōperiatur necesse est: quod genus à Græcis *νενοσσηδία* dicitur. A diuturniore ergo potu aquarum Ægyptiarum, siccam saltem esse ætatem iam ingrauescentem conuenit professioni philosophiæ: quo facilius hauriat philosophus & suauius è puteo euangelico. Nam Christianismi alumnum esse, & simul Hellenismi perpetuum discipulū, cothurnum est quodammodo Theramenis perpetuum induere, in confinioque habitare, atque vitam agere pietatis atque Polytheiæ, vel Atheiæ potius impurissimæ. Igitur *ἄλις*, iam *ἄλυος*, quod antea dictum est: nec Cereali munere inuento & pergustato, in sylua deinde Hellenismi diutius expatiandum. ex qua tanquam sylua pascua, vt glande sues læti, ad extremum tantum incōsulti quidam redeunt, frugibusque non gustatis diem obeunt iudicij decretorium in perpetuum, non suum, sed inimici, atrocis & infesti vehementer criminantis. Porro autem qui Christum cruci affixum in sinu fouere & continere cupiunt, expressamque & eminentem effigiem summi boni æternique colere: iis hoc quoque faciendum est, vt cincti sint circa lumbos quàm accuratissimè atque exactissimè. Nec verò vnquam committendum, vt per incuriam discinctis, aut per incontinentiam, fides & charitas excidant, pignora summæ spei, quas ipsi in sinu suo confouere cœperunt. tametsi Christus ipse, quem in limen templi admittere diebus constitutis & aliàs vnicuique solenne est, per paucis autem penitus & hospitali mente: si semel in cordis intima insinuarit: ibique diuersorium sibi loco mundo, scopisque iam dictis reprehensantis sese cum mœstitia conscientiæ, rectè atque ordine circunuerso, elegerit atque ceperit: non facile deinde sic emigrare solet inde, præsidio vt suo exutum hospitem destituat. Absque hoc verò hospite contubernalem habere pacatæ mentis statum, euthymiamque illam nemo potest, interioris hominis felicitatem, cuius prisca philosophia nominis tantum splendorem, sanè augustum & expetendum, vehementer admirata est. Sed enim Christo Dei verbo atque sapientiæ, hospiti amplissimo atque suauissimo, & verò votorum philosophiæ summam pignusque summi boni, secum vnà ferenti, via domum aduenienti munienda est & præparanda, supplicium ipsi suppliciter de se dando per mœrentem obsecus admissa ægritudinem. dirigenda etiam & explananda, vt vates ille maximus, appetentis salutis præmetator & prænūcius, admonuit: à quo Christus ipse lustrari mystica immersione voluit. Ita

q. v.

autem ferre mihi videtur ordo, ratio & processus elementaris philosophiæ ac philotheoriæ, ut verbum Dei in præcordia admissum, paulatim in corde concipiatur: dein ex informi & adhuc inanimato, sensim commentando formetur in modum expressiorem, diuinitusque deinde animetur, vix iam semianimo exteriore homine. Ab hoc profectu Christus ipse cum in corde iam animatus est, tum animans est animi, atque etiam inspirans, ob idque in corde regnare auspicatur: & porro tyrannidem mundi, eiusque principis potentatū, loco mouisse videtur, & eiecisse fortasse. ex quo fit ut homunciones sæpe, plus quam heroes euadant: famiolæque vasa paulum antea & futilia, interdum fiant aurea, dominoque præpotenti grata & utilia. tales enim fuerunt permulti olim viri sancti, quibus numen illud paracletum incubans, spiramentum vitæ cælestis luteam in faciem mirificè inspirauit. Hi sunt qui spiritu Domini tincti atque imbuti, summum bonum in vita, summamque definiunt felicitatem, summa fidei amorisque Dei affectione: quique omnium actionum suarum, consiliorumque ac desideriorum summam, fructum etiam omnem eorum, atque operæpretium vitæ, in duabus illis virtutibus sita esse existimant, amplissimæque ad extremum constatura esse mortalibus. Nobis autem studium sapientiæ auspiciis Christi capeffentibus, hoc omni ope contendendum est, ut ab infantia verbi Dei, ad adultam fidem eius intelligentiamque assurgere commentando possimus. quod quia sine magisterio indulgentiæ diuinæ impulsuque fieri nequit, idèd à nobis precibus imploranda est atque obsecrationibus. Animus autem farragine literarum humanarum disciplinarumque farctus, cum ad sapientiæ studium contentione sui transcripserit: historiæ theurgicæ pabulo primum delectabitur, nisi genio præditus sit ad salubrem doctrinam refractario atque dissono. deinde animante & mystico intellectu quasi epulis diuinis & pane cælesti aletur. Vnde sensim euehetur ad intelligentiam anagogicam & spiritualem: longè maiorem ipsam augustiorémque profanæ philosophiæ fastigio. Quidnā porro iucundius hoc, quid verò euthymie illi beatæ affinius esse potest, quam huiusmodi philosophiæ studentes, ad mortis antè prouise atque præmeditatæ vadimonium excubantes: porroque ad mortis certamen proludentibus similes, præpetem spem amplecti, tenere & fouere, hominem quidem illam quanquam adhuc mortalem, sublimem nihilominus, in celumque rapientem? Verum enimvero cum magni cuiusdam sit negotii animum reuocare à commercio sensuum, morésque à consuetudine abducere diuturna, quæ iam callum

obduxit in sensu communis prudentiæ: iccirco philosophiæ priscæ elementis opus est, studium augustioris philosophiæ capessentibus: quam Cicero in Tusculanis ait culturam esse animi, quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad satus accipiendos, qui tandem adulti, fructus vberimos ferant. Et in tertio de Oratore dialogo, Philosophia est (inquit) omnium optimarum rerum cognitio, atque in iis exercitatio. Quod tamen nunc qui facere optima fide cœperint, philomori magis (vt dixi) ciuili prudentiæ, quàm philosophi videbuntur: vtpote cuius aures occaluerint ad monita sapientiæ, ad iussa, ad interdicta legis summæ, ad præmiorum iuxta pœnarumque immortalium denunciationes. Proinde qui in literis antiquis, honestisque vtraque lingua disciplinis feliciter eruditi, ad sacram ipsi philosophiam conuertere parem animi contentionem non magnoperelaborant semini diuino accipiendo: aut cum id statuerint, in ætatem iam caulariam differunt exuccamque facere: ij mea sententia tam absurdum consilium vitæ capiunt, quàm de agricultura illi perperam statuunt & incommodè, qui segetes in agro supramodum inarescere sinunt, messis fructum sustinendum esse putantes, ad inanitatem vsque spicarum aut siliquarum. Qui verò aut animi causa, aut gloriæ comparandæ studètes, in externis disciplinis consenescere constituerunt: atque in extremo actu fabulæ huius vitæ, animam quoque agere non verentur: hos quidem ipsos non tam philosophari in literis censuerim, quàm cum Fauni (vt prisca voce vtar) vxore fatuari. id quod significat amore Musarum lasciuiorum captos, afflatuque spiritus proteruitatis, fanatico atq; insano impetu vaticinari, quod Hesiodus fecit in illa sua Theogonia, stemmatèque teterrimo Titanum atque Tartaridarum. A quo ipso forsitan proximè abesse videri possunt, alumnorum vatum Polytheiæ perpetui admiratores, qui lepore poëtico insanè delectati, sacrosanctæ doctrinæ salutarisque studium ob id floccifaciunt, veluti ad eruditionem politiolem ineptum & incommodum: in summa sanè ipsi versantes inanitate studij, adumbratamque tantum persequentes philosophiam. Siquidem vaniloquam in vniuersum philosophiam externam, fatuam ac Fauni coniugem esse, nemo inficiari potest: duntaxat non impudens atque impius, aut certè non imperitus. Quod si sale condita sit eadem philosophia: & verò si salibus aspersa germanæ æternæque sapientiæ, atque diuinitus proditæ: haud dubitarim ipse eam primæ commendationis esse dicere, inter res quidem certè humanas, optandas & cōsectandas ingenuis

animis atque excellentibus. Animi porro non exigui tantum, sed etiam diuina pro nihilo ducentis esse mihi videtur, & tanquam demissi cuiusdam infernatique philosophi, inter homines rerum humanarum prudentes, facundiam omni studio eloquentiamque comparare: quod plerique facimus: inter eos verò qui sapientiæ student, ac de ratione summi boni adipiscendi differunt, infantem esse non nolle, aut certè non omni ope vitare. Ultra modum autem & ætatem amœnitati tantum studere literarum, summæ est amentia. nisi verò amentium non est, animi causa animam suam perdere, aut de eius salute perpetua negotium sibi non faciendum ducere. nempe quasi ex actis tantum destinatricis prouidentia, ius beatæ vitæ petendum habeamus: nō etiam ex pietatis & religionis studiis, exposcendaque per mœrentem pœnitentiam venia, sperare debeamus. Atqui post sermonis mortalis peritiam atque philologia, ipsa quoque sapientiæ dialectos immortalis & sempiternæ, cognitu est utique dignissima, ut summum ac salubre fastigium eloquentiæ columenque illustre impositura. Id quod ii demum hominum doctissimorum (ut opinor) contemnere soliti sunt, qui præputium Hellenismi, post Christianismi sacramentum retinentes, creta an carbone notandæ sint animæ ad extremū, aut nihil aut parū interesse nostra putant: nihil verò referre, inter Dei filios & cœlites ipsi referendi sint, an inter Tartaridas & Orcicolas. Verum hi ex eorum natione sunt, οἱ τῶν οὐρανῶν λέγοντες ἀναπαύουσιν, ὡς ὅτι πειγὺς, καὶ τὸ πᾶν ἡμᾶς ἔτος, ἡμεῖς δ' ἀνθρώποις, ut inquit ille Comicus. Hactenus enim ipsi nec amplius cælestibus de rebus sempiternisque philosophantur. quorum contubernium atque sodalitatem, ut diram & capitalem, eos auersari oportet, qui aduersus Sirenum sæcularium delinimenta, & sæpe lustralium, circuncidere sensus suos statuerunt, cultróque selectioris philosophiæ accidere desideria cupiditatis improbæ. Deus autem omni genere doctrinæ ad cognitionem sui ac nostri condoceractos nos volens, præsertim hac ætate literarum meliorum strenua instauratrice, præcidisse nobis omnem spem mihi videtur causandæ ignorantia. quo impendio magis attentis esse debemus, ad aureis perpurgandas veritati exaudiendæ. O tenebræ Cimmeriæ vita quæ lux ab antiquis appellata est. Abrahamus ille medius fidius, in scriptura decantatus, ut fidelium decus ac parens, in tanta luce literarum, in summa illustratione proditæ: quondam promulgatæque veritatis, diffidentiam exprobrare nobis capitalem, diramque mihi videtur incuriam immortalitatis beatissimæ: qui in spem ipse maiora spe fidéque

pollicitationis sibi factæ, credidit. quod Paulus ille sanctioris veritatis calamus, ad Romanos scribens, testatus est clarissimè. Tametsi non capitalior est nostra diffidentia, qui in gentem Abrahamidarum nos professione tantum verboque adoptauimus: quam sceleratior confidentia, quod in lubrico & præcipiti loco stantes, tamen securi, supini, somniculosi, veterno denique diro oppressi, acquiescimus. Proinde (vt finem dicendi faciam ea de re, quæ nec dicendo, nec scribendo, nec commentando finem vllum inuenit) literarum bonarum (vt vocamus) doctrinam, philosophiamque antiquam & externam, sic cedere sapientiæ oraculari & consecratæ oportet, vt sensum rationi. nec modò manus illi vt meliori, vt superiori, vt inultum augustiori dare: sed sese etiam ipsam, atque suas omneis copias & facultates, quanlibet instructas & pugnaces, præbere eidem necesse est ac permittere. nec verò manus quolibet modo dare, quasque defunctoriè, sed vinculis quidem illas Christianismi constringendas, timorisque dominici: cæterum æquis atque liberalibus, & porrò dignissimis natione mortalium immortalitatis admiratorum, hominumque animis natalibus restitutorum. Hæc enim post compertam veritatē atque agnitam, sola vocari meritò philosophia potest, fidelium tantum ipsa magistra, & mystagogos, quos Græci *μυσταγωγός* appellant. qui sibi rerum diuinarum atque sempiternarum veritatem ita persuasurunt, adducti vi illa admirabili Pithūs euangelicæ, abduci vt fide Iesu Christi euangelii alia nulla vi queant, non humana, non dæmonia, non prece, non precio, non terrore, nō premio. quippe qui non suam, non sensuum, non rationis fidem, non disciplinarum sequantur: sed grandis illius pronunciatoris, rerumque in spe positarum certissima certiore repromissoris, classici & assidui, vt prisci loquebantur. Habet autem & hoc genus philologiæ musæum suum amœnissimum, suæque encyclopediæ spatium, studio dignū trisæculari Nestoribusque discipulis. habebunt enim illic homines doctissimi, vbi philologiæ genium accipere lautè & opiparè possint, epulis sanctioribus. gustabunt etiam interdū non nihil cōtemplationis sublimipetæ, & tanquā extaticæ: qui etsi extemporalis breuissq; suauitatis fructus est, ἀλλὰ τὸ δὲ ἀμείβομαι καὶ νικτάρως ἐστὶν ἀπορρώξ. Neque verò asininū iugum domini est aut bubulum, quod multis ætatibus existimatum fuit & persuasum vulgo. Sed & equestre curriculum decurrere, & quadrigarium potest theórica philosophia, nō tam mortis cōtemplatrix, quàm immortalitatis. idque iure proprio, non occupatio. longè enim maiores (quod Augustinus inquit) di-

uitiæ Solomonis regis fuerunt, quàm aurum, quàm argentum, quàm supellex, quàm vestis, à Mose quondam Iudæisq; ex Ægypto ablata & deportata. Proteus enim est propriè sermo Dei, omnia trāsformans sese in miracula rerum. Quem sermonem si fide tenere, si studio colere, si amore cōplecti institerimus: docebit nos ille omnia quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahentur. Sed vinculo triplici vincendus est hic Proteus arctissimè, fidei, spei, & charitatis Christi. Quantum est autem theorema illud huiusce philosophiæ, genus humanum è mancipio tyrannidis inferorum, humanitate filii Dei supplicioque exemptum esse? & simul inter cælum & terram interuentore Christo tantum talèque commercium initum esse, vt immortalitas cum mortalitate sponsalitium vinculum commerciumque contraxerit & coierit, cōmunicato iure diuinitatis atque æternæ beatitatis? Quanta porrò amœnitas est in libris originum sacrarū, elementa considerare prodentis se homini veritatis sub persona dramaticæ simplicitatis, & mirè symbolicæ? ibi videas Mosē veluti fores cæli adhuc clausas pulsantem, quas Christus postea à se reclusas, patère delectæ multitudini voluit sibi que dediticiæ. Huius lex temporarium edictum fuit è cælo missum: quod ille ipse iam dictus, id est Christus, postea magna ex parte inductum, ad edictum perpetuum redegit: cui nec derogari quicquam ab alio, nec obrogari potest. & Moses quidem cum sua lege tanquam pegasus fuit, id est fama (sic enim pegasus interpretantur) salutis iam iam aduenientis, id est ipsius prænuncius: qui Musis sacrosanctis fontem illum aperuit enthei vaticinii, veraciumque prædictionum. In vniuersum verò in scripturæ sensu multiplici, quasi in Iano quodam cœlesti, cōmentari magna cum voluptate licet, eadēque saluberrima. Qui Ianus quater geminus principium & finem rerum temporūque & intermedia tenet: aditus etiam multos habet ad veritatem summi boni atque sapientiæ comperiendam. Vnus est aditus, vt volūt, per historiam, quæ fidem rerum gestarum facit. Alter est aditus allegoriæ, quæ ea significat quæ credenda nobis sunt, nō sine ingenti gratia troporum & figurarum. Admittimur intrò etiam per ea quæ in mores recipienda ipsa scriptura docet occulta significatione. Sublimè autem attollitur cōmentatio per eam quam anagogen Græci & ἀναγωγή vocant, quasi theoriæ quoddam auguraculum. Hæc autem literatores planè homines fortasse siqui sunt, non probabunt, quorum ad stomachum literatura magis quàm mystica doctrina facit: doctissimi tamen viri olim & Græci & Latini, in iis ingenia

præstantissima opportunè exercuerunt. Nam quo stomacho homines esse oportet, qui salibus diuinis non delectentur? vagina est historia: gladius est literaturę spiritus. Enimuero marcentis animi speique homines esse oportet, quos post disciplinas liberales studiũq; eloquentiæ, lectio sacra non iuuet, quorum animi fœno quasi animantes tantũ alantur, ambrosia non vegetentur. Proinde si studiosissimi homines posthac doctissimique faciant, vt ex Hellenismi campo & curriculo, tempestiuè se in lucum Christianismi condere & abstrudere insistant, tanquam ad Ægeriæ iam sanctioris cõsuetudinem atque philologiæ animum transferentes: eo pacto fiet vtique & instituto, deliciæ vt hominum ad ingenii cultum natorum, non modò literæ bonæ & elegantes, sed frugiferæ etiam & salutare tum vocentur in posterum, tum esse videantur. Quippe quarum succo perimbuta aurea argenteaque vasa, ex illa animarum massa diuinitus exempta, ad honorẽque electa, non splendidiora modò in æde Domini exposita, sed etiam vtiliora fiant, atque ad instrumentum eius ornamentũque præstantiora.

FINIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

Cautum est auctoritate Regia, ne quisquam alius præter M. Dauidem, hos Gulielmi Budæi libros De transitu Hellenismi ad Christianismum, ante sexennium imprimat nèue alibi impressos diuendat. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata mulctabitur. Lutetiæ Parisiorum, 7. Idus Iulij. 1556.

De Courlay.

